CONTRA LITIGANTES IN CURIIS QUI CONTRISTANT PROXIMUM, ...

Salvator Pone

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
2 H
23

13 — 23.6.80.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CONTRA
LITIGANTES
IN CURIIS

Qui contriſtant Proximum, & vexant litigando, Præceptum Domini de proximi dilectione non obſervantes.

EX OPERE DE ELEEMOSYNA

DOCTORIS

SALVATORIS
PONE
PARTENOPENSIS

Hoc Cap. XVIII. ad verbum Tranſlatum.

Sub protectione S. ROSÆ Limanæ.

Non omnes capiunt verbum iſtud; ſed quibus datum eſt. Matt. 19. 11.

Non intelligent omnes impii: porrò docti intelligent: Dan. 12. 10

Col. Chriso.

libris

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

NEAP. MDCCXV.

Ex Typog. Franc. Ant. Layno.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

EXCELLENTISSIMO

WIRRICO

Comiti Daun Theani Principi, &c. Regni Neapolitani Proregi ſalutem.

DAta eſt Poteſtas in Cœlo & in terra: Dominatur Cæleſtis poteſtas etiam in terris: At non omnia miraculosè. Voluit Deus Omnipotens Poteſtates eſſe ſub poteſtate. Primum & ante omnia, Deo confidimus, hominibus ſecundariè, qui ſunt in poteſtate conſtituti, ut protegant in viſibilibus quaſi inſtrumenta Dei primæ cauſæ protegentis. Nos igitur ſub Divino

auſpicio & protectione S. ROSÆ Limanæ conſtituimus elaboratum opuſculum noſtrum de ELEEMOSYNA: Et hæc à Deo eſt protectio, fide ac ſpe. Sed ut per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciantur, oportet etiam humanum adjutorium poſcere, ſemper Divina gratia cooperante. Tentare Deum, peccatum eſt ut miracula faciat abſque neceſſitate: At humano adjutorio penitùs deficiente, ſuos Deus non deſerit. Hac de re dum Cap. XVIII. contrà litigantes in Curiis publicare intendimus ex dicto opere de ELEEMOSYNA ad verbum trãſlatum antè publicationem operis principalis: Timore compulſi, ne homines mundiales, qui non ſapiunt quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum, caninis dentibus rodant, Evangelicam veritatem oppugnantes; quia non loquuntur eis placentia ad temporalium bo-

norum

Digitized by Google

norum concupiſcentiam: Tibi igitur, Excellentiſſime Princeps, hunc Tractatulum *Contra Litigantes in Curiis* dedico, de ELEEMOSYNA, Miſericordia, Charitate & proximi Dilectione diſſerentem. Sub tuam excelſam ac robuſtam protectionem illum conſtituo, ſecurus ab incurſu rugientium Leonum quærentium quem devorent. Cui enim digniori potentiori, ac validiori inter homines hoc noſtro Cœlo dedicabo ad ſperatam protectionem habendam Dei gratia adjuvante? Adjuva ergo nos, protege, qui potens es & magnum nomen tuum. Omitto lubens alia, quæ ad ſanguinis tui ſplendorem attinent, quæ ad animi fortitudinem in tot belli præclaris facinoribus, præſertim in Taurini defenſione & Cajetæ expugnatione, veluti nuper vidimus ac in multis aliis. Tu enim inter Eleemoſynarios

Digitized by Google

digito Dei adſcriptus. Tu in hoc ſigno prædeſtinationis poſitus ex gratia & miſericordia, audies certè tempore malo in ratione reddenda, Benedictionem illam finalem communem Eleemoſynariis omnibus ac promiſſam: Venite benedicti Patris mei poſſidete Regnum non terrenum, ſed Cæleſte non temporale ſed æternum. Eſuriui enim & dediſtis mihi manducare, &c. Ità enim conſtituiſti Deum debitorem tuū ad Regnum Cœlorum poſſidendum in beatitudine Beati Dei amen.

Infimus inter ſervos Exc. Veſtræ
Salvator Pone.

AP-

Digitized by Google

EMINENTISS. DOMINE.

AUthoritate Eminentiæ tuæ legi Librum cui Titulus: ELEEMOSYNA *Multiplici Sacrarum Scripturarũ Sanctorumq; Patrum elogio commendata, &c.* ab Illuſtri Domino U.J.D. SALVATORE FONE, mira pietate, devotione ac charitate compoſitum: Et in eo nihil reperi quod fidei dogmatibus ac bonis moribus adverſetur; imò omnia in eo aſſerta Sacrarum Scripturarum, & Sanctorum Patrum teſtimonio roborata ſunt. Quare ſi ità Eminentiæ tuæ viſum fuerit, poſſe typis mandari cenſeo. Neap. die II. menſ. Septemb. MDCCXV.

Humillimus, & Obſequentiſ. Servus
D. Nicolaus Pollio U.J.D. & Examinator Synod. Cur. Archiep.

Attenta ſupradicta relatione Imprimatur.
Neap. hac die II. Sept. MDCCXV.

D. Petrus Marcus Giptius Can. Dep.

AP-

Digitized by Google

APPROBATIO, ET FACULTAS REGIA.

OPuſculum CONTRA LITIGANTES IN CURIIS, &c. ex opere principali de ELEEMOSYNA Authore U.J.D. SALVATORE PONE; mandatis Excellentiæ tuæ obtemperans; libens magna animi voluptate perlegi: Habet enim nedum tot tantoſque eximios Theologos laudatores: verumetiam Sanctos Eccleſiæ Patres ſui genitores, Sacramque ipſam Scripturam verba veluti dictantem. Non parum quid mihi videtur de Ezechielis libro ſaporis auxiſſe: habens in ventre devorantis amarum; in ore verò, mellis dulcedinem. Dum rerum temporalium jacturam potius pati ſuadens, dulcedinem internæ ac fraternæ pacis cum proximo promittit. Praxim Curiæ Author callens, ſed in ea non offendens; apprimè novit quot animarum centena terræ aurique cupiditas in dies perdat: Dicunt namque bonum malum, & malum bonum: Tēporalia terrena præſentia, veluti beatitudinem,

nem,bona dicunt: Et gloriæ æternitatem futuram,mala. Faxit Deus, ut Liber iſte non opertus & clauſus, ſed omnibus Curiæ amatoribus apertus ſit & pervius in ipſorum manibus in ipſorum oculis in mente in corde. In eo nihil reperi quod Regiæ Jurisdictioni in minimo opponatur: Unde ut typis & æternitati detur, ſi Excellentiæ tuæ videbitur, cenſeo & maximè exopto.

Neap. ex Conventu S. MARIÆ Salutis hac die xxx. Aug. MDCCXV.

Fr. Ludovicus Pucci Ord. Prædicatorum Sac. Theolog. Magiſter.

Viſa ſupradicta relatione Imprimatur, verùm ante publicationem ſervetur Reg. Pragm.

GAETA R. MIRO R. MAZZACCARA R. ULLOA R.

Proviſum per S.E. Neap. die 2. Septembris 1715.

Athanaſius.

AD

Digitized by Google

AD LECTOREM PREVENTIO

ITerum oportuit (*Amice Lector*) *hic dare tibi Approbationes Ordinarij, & Regij; quas etiam una cum cenſura Theologorũ & oratione ad legentes, habes in Opere principali de* ELEEMOSYNA *in IV. continens Cap. XXV., ex quibus hoc XVIII.* CONTRA LITIGANTES IN CURIIS, *ad verbum translatum eſt in* XII. *ſeptem Capita ſequentia ſub prælo omni ſolicitudine ſudant. Brevi totum opus completum dabitur tibi, ſi Deo placuerit & vita ſuppetet ac fortitudo ad ſuperanda multa & quaſi infinita impedimenta uſque adhuc paſſa, & forſan patienda. Vale, & ora miſericordem Deum pro me miſero homuncione omni labe fœdato, & omni virtute deſtituto. Diu noctuque laboravi pro mea & tua utilitate; Dei gratia adjuvante, ſola miſericordia & pietate, quæ pluit ſuper juſtos & injuſtos. Si in aliquid erravi, ut perſæpe ſolent homines non Angeli, væniam præſta, mi Lector, et fac me miſericordiæ dignum; conſidera ſtatum, debilitatem ac ſterilitatem meam, et miſerere: In pertinacia enim non ſiſto, cervicem non erigo ſed ſubmitto.*

No-

Digitized by Google

Noſco me ipſum; quo ad me, omnium vacuus. S. Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, et omnium Doctorum ſcripta omnia cenſuræ ſubijcio. Pax CHRISTI quæ exuperat omnem ſenſum liberet te & omnes legentes ab omni litigio: & ipſe Deus Pacis ſanctificet vos per omnia, ut pacem ſequimini cum omnibus & Sanctimoniam, ſinè qua nemo videbit Deum.

EX

Digitized by Google

EX OPERE DE ELEEMOSYNA DOCTORIS SALVATORIS PONE

Hoc integrum Cap. XVIII. ad verbum translatum.

Contrà injuſtè litigantes in Curiis, qui loco ELEEMOSYNÆ faciendæ, & primum proximum diligendi, contriſtant fratres, & vexant litigando, Præceptum Domini de proximi dilectione non obſervantes.

QUænam erit pauperibus diſpenſatio? forſan de bonis propriis hominis, an de illis à Deo omnia donante, & diſpenſante, conceſſis, ut egenis diſpenſarentur ſuperflua? Certè quidem: *Homo nudus*

Digitized by Google

Noſco me ipſum; quo ad me, omnium vacuus. S. Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, et omnium Doctorum ſcripta omnia cenſuræ ſubijcio. Pax CHRISTI quæ exuperat om nem ſenſum liberet te & omnes legentes ab omni litigio: & ipſe Deus Pacis ſanctificet vos per omnia, ut pacem ſequimini cum omnibus & Sanctimoniam, ſinè qua nemo videbit Deum.

EX OPERE DE ELEEMOSYNA DOCTORIS SALVATORIS PONE

Hoc integrum Cap. XVIII. ad verbum translatum.

Contrà injuſtè litigantes in Curiis, qui loco ELEEMOSYNÆ faciendæ, & primum proximum diligendi, contriſtant fratres, & vexant litigando, Præceptum Domini de proximi dilectione non obſervantes.

QUænam erit pauperibus diſpenſatio? forſan de bonis propriis hominis, an de illis à Deo omnia donante, & diſpenſante, conceſſis, ut egenis diſpenſarentur ſuperflua? Certè quidem: *Homo nudus*

egreſſus eſt de utero matris ſuæ, et nudus revertetur illuc, (*a*) ſcilicet ad terram matrem omnium: *Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium, quod nec auferre quid poſſumus. Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti ſimus; Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et deſideria multa inutilia, et nociva, quæ mergunt homines in interitum; radix enim omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes, erraverunt à fide, et inſeruerunt ſe doloribus multis. Tu autem homo Dei, hæc fuge.* (*b*) Qui enim verus Chriſtianus eſt, & CHRISTUM ſequens: *Victum & veſtitum habens, non vult aliis onerari.* (*c*) Nemo in Deum credens, negare poteſt, quod omnia quæ homo habet poſt introitum hujus vitæ, à Deo omnia donante & diſpenſante habet: *Deus dedit*; (*d*) non dedit hæreditas, non paternum patrimonium, non hominis induſtria & labores; ſed *Deus dedit*: Homo enim nudus venit in mundum, *nudus egreditur* *de*

(a) *Job.* 1.21. & *Eccleſiaſteſ.* 5.14.
(b) 1. *Tim.* 6.7. (c) 1. *Tim.* 6.8. (d) *Job.* 1.21.

de utero matris ſuæ, & nudus revertetur illuc. (*a*) Deus nutrit hominem, Deus veſtit, Deus dat neceſſaria vitæ, & etiã ſuperflua velut in depoſito, redditurus homo rationem ipſi Domino danti, quando veniet dicens: *Redde rationem villicationis tuæ*: (*b*) An propter carnem, quę caro eſt & terra vilis: An propter animam Dei imaginem nobilem villicatio hujus vitæ adminiſtrata fuerit. *Redde* ergo *rationem*. Quapropter nec neceſſaria, nec ſuperflua ex induſtria noſtra habemus. Sed proh dolor, onerant ſe Chriſtiani per eorum induſtriam in Curiis litigando ad invicem, ut onerent ſe ſuperfluis, non ſuis, ſed Dei, & pauperum Dei, nullam dilectionem habentes inter eos; & Pacem illis à CHRISTO relictam, propter inquietudines litigioſas abjiciunt, expellentes eam ab ipſis per bonorum temporalium concupiſcentiam: Quando veri Chriſtiani debent concupiſcere Cœleſtia, non terrena vana & caduca: Juxtà præceptionem Apoſtoli tubicinantis: *Quæ ſurſum*

 ſunt

(a) Job. loc. cit. (b) Luc. 16. 2.

ſunt quærite: Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. (a)

Dicit tibi CHRISTUS, & mihi, & omnibus: Da mihi de eo quod dedi tibi: de meo quæro: da, & redde, habuiſti me largitorem, fac me debitorem, habeam te fęneratorem. Temporalia mihi das, æterna tibi reſtituã: teipſum tibi reddam, quando te mihi reddidero. (b) *Reddite* igitur, *quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo*; (c) Quaſi Cæſar dominans (tropologicè declarat Theophylactus) etiam eſt uniuſcujusque noſtrorum corporum inevitabilis neceſſitas. Jubet igitur Dominus reddere etiam corpori ſua neceſſaria, cibos ſcilicet & veſtes; & quæ Dei, Deo (d) ideſt omnia nobis conceſſa ſuperflua, ut inopi, cui *Signatum eſt lumen vultus Domini*, (e) elargiamur propter Deum, quaſi Deo in imagine ſua reſtituenda; Et non ſolùm bona temporalia reddenda ſunt Deo per manus exa-

(a) *Coloſſ.* 3. 1. (b) *S. Aug. de verb. Dom. Serm.* 25
(c) *Marc.* 12. 17. (d) *Theophylactus in Marc.* 12. *ſuper illud: Reddite, quæ ſunt Cæſar. &c. mihi pag.* 121. *edit. Pariſ.* 1545.
(e) *Pſal.* 4. 7.

exactorum ſuorum , ideſt pauperum , recipienda ; ſed etiam omnes noſtræ potentiæ, virtutes , cor, voluntas, amor, opera , &c. Reddite ergo quod habet imaginem, ei cujus gerit imaginem; Nam bona imaginaria ſunt hæc temporalia , ideſt , denarium Cæſaris: Poteſtis enim & cenſum Cęſari dare, & Deo propria offerre, (*a*) ideſt voluntatem, affectum & compaſſionem, ſive dolorem , &c. & omnia elargiri cum recta intentione , ſcilicet propter Deum omnia perpetrare. Benè dicit Ambroſius ; Beatus planè de cujus domo, nunquam vacuo ſinu pauper exivit, neque enim quiſquam magis beatus,quàm qui intelligit ſuper pauperis neceſſitatem , & infirmi atque inopis Ærumnam . (*b*) Nam tunc ſuam domum edificat in Cęleſtibus; Alioquin, ſicut ſcriptum eſt : *Niſi Dominus edificaverit domum , in vanum laboraverunt, qui edificant eam.* (*c*) Sed quomodo edificat domum nobis Deus ? Per Eleemoſynas , quæ materialia ſunt noſtra,

(a) *Theophylact. loc. cit.* (b) *S. Ambroſ. lib. de offic.* (c) *Pſal. 126.1.*

cum noſtro libero arbitrio perpetuata: Cum quibus materialibus, Magiſter, & Artifex noſter CHRISTUS ædificat domum æternitatis noſtræ per gratiam, quæ eſt in Chriſto JESU Domino noſtrò; & ex ſequenti experientia probatur.

Hoc edificium voluit juſtus Eleemoſynarum retributor Deus, hominibus antè tempus pro certitudine demonſtrare, ut erudiantur; (*a*) Sicut legimus in vita Sancti Joannis Eleemoſynarii. Nam cum Epiſcopus Troilus triginta libras auri, emendi cauſa ſpeciem argenti anaglyphi, gratia menſæ ſuæ, traderet familiari Æconomo; Alexandrinus Patriarcha Joannes dixit ei, ut in pauperes melius diſpenſaſſet: quo facto, calefactus ad horam (venerabatur enim & metuebat eum & Sanctitatem ejus) tali triſtitia afflictus Troilus febricitans in cubili jacebat; amator enim pecuniarum erat. Venit Patriarcha, & cognita infirmitatis

(a) Attentè conſidera, lege & relege continuè, ut ſi in unica lectione non adveniat Spiritusſãctus, adſit in aliis, ad veram cordis intelligentiam.

Digitized by Google

tis cauſa , attulit triginta libras auri quod diſpenſarat in pauperes, dicens: quaſi per jocum dixi, da pauperibus; Ecce aurum tuum, quod diſpenſaſti, reddo tibi,& veni in domo mea manducare, ut lætus efficiaris; illicò receſſit febris, & ſurrexit ad convivium Joannis, qui ſchedulam voluit ab eo habere de recepto. Cum quieſceret autem Troilus, volens mercedis debitor Deus corripere eum, ſimul autem ad miſerationem contribulatorum & compaſſionem erigere; demonſtravit in ſomnis, qua mercede privatus eſſet: Vidit enim (ut ait) Domum cujus pulchritudinem atque magnitudinem, non poteſt ars hominum imitari, & januam totam auream, & ſuper januam titulum conſcriptum: Manſio æterna & requies Troili Epiſcopi. Cumque hoc, inquit, legiſſem, gaviſus ſum: Sciebam enim donandam mihi ab Imperatore talem domum ad epulationem. Nondum autem hujuſmodi tituli ſuperſcriptionem perlegeram; & ecce quidam Regius cubicularius, habens ſecum &

alios obſequii Divini; cum perveniſſet ad talis nitentis domus januam, dixit ad proprios officiales: Deponite titulum iſtum. Et cum depoſuiſſent, iterum dixit: Mutate eum, & ponite quem miſit orbis terrarum Rex, & attulerunt & affixerunt alium, aſpiciente me, ſuperſcriptum ità: Manſio æterna & requies Archiepiſcopi Alexandriæ empta libris auri triginta. Et cum hæc vidiſſet ſurrexit à Somno, & magno Paſtori, quæ viſa ſunt ei in ſomnis enarravit. Proficiens ea de cauſa Troilus, factus ex tunc Eleemoſynarius magnificus. (*a*)

Nil dubii eſt, quod à Deo percipimus omnia, Deoque reddere debemus ſuperflua in pauperes diſpenſando, cum quibus communia ſunt omnia, quæ poſſidemus. Dicit enim Chryſoſtomus: Quod dicimus meum & tuum, nuda tantùm ſunt verba. Si namque domum tuam aſſeris, emiſiſti verbum carens ſubſtantia rei; Nam & aër, & ſolum, & cæmentum, Creatoris

(a) *Ex vita S. Jo: Eleemoſynarii per Leontium Epiſcop. Neapoleos, quam habes tom. 2. vitis Sanctorum Lippomani.*

ris ſunt, Tu etiam ipſe, qui domum conſtruxiſti; ſed etſi tuus ſit uſus, dubitatur, non ſolùm propter mortem, verùm etiam propter rerum eventus. Anima tua, non poſſidetur à te, & quo pacto, tuæ reputabuntur opes? Vult autem Deus tua fore, quæ tibi pro fratribus proximis tradita ſunt, fient autem tua, ſi pro aliis diſpenſaveris: Sin verò tibi affluenter expenderis, quæ ſunt tua, jam facta ſunt aliena. Sed propter nefandam opum cupidinem, homines in curiis conrixantur, contrà quod Dominus dicit, *& qui aufert quæ tua ſunt ne repetas*. (a) Sed & contrà Imperatoris ſui ædictum (inquit Bernardus) concupiſcere aliena, & ſua cum lite repetere; non audientes Apoſtolum tubicinantem Regis imperio: *Hoc ipſum omninò delictum eſt in vobis*, inquit, *quod judicia habetis inter vos: Quare non magis injuriam accipitis? Quare non magis injuriam patimini? Sed vos injuriam facitis, & fraudatis, & hoc fratribus*. (b)

 Ita-

(a) *Chryſoſt. hom.* 10. *in* 1. *ad Cor. in moral. tom.*4. *& Luc.*6.31. (b) 1.*Cor.*6.7.*&* 8.

Itane mundum ſibi,& ſe mundo Crucifixerunt? ut qui antea vix in ſuo vico vel oppido cogniti fuerunt, modò circumeuntes provincias & curias frequentantes, Regum notitias, Principumque familiaritatem aſſecuti ſint. (*a*)

Ad ſocietatem, & non ad lites, vas electionis demonſtrat, vocavit nos Deus in Sanctam fidem & Chriſtianitatis legem,& pacem nobis annunciatam à Cœlitum multitudine, (*b*) ut in pace, & non in lite & ſchiſmate ambulemus: *fidelis Deus*,inquit,*per quem vocati eſtis in ſocietatem filii ejus Domini noſtri IESU Chriſti.*(*c*) *Obſecro autem vos fratres*, nota quomodo obſecrando & orando, imperat; nam ſi rogat Rex, aut magnus homo potens, rogat clementia ſua, ſed rogando imperat, & melius perficitur oratio Imperatoris, quam edictum, quia amore perficitur

quod

(a) *S Bern.hom.4. ſuper Miſſus eſt.tom.1.pag. mihi 45 in princ.* (b) *Luc.2.13.*

(c) Nota attentè & diligenter conſidera hæc verba Apoſtoli, ut gratia Dei ſuffultus veritatem quę à Deo eſt intelligas atque operibus perficias.

quod obſecratur, non timore, ut in præceptione, *per nomen Domini noſtri IESV Chriſti*, conſidera attentè, quanta diligentia & induſtria, etiam adjurando, quaſi magnam rem præcipiendo, *per nomen, &c. ut idipſum dicatis omnes, ut non ſint in vobis ſchiſmata; Sitis autem perfecti, eadem mente, & eadem ſcientia*. (*a*) Hoc eſt, in vinculo pacis, invicem amantes, & non litigantes. Hoc non obſtante litigatur & ſchiſmatizatur. Ad Coloſſenſes ſcribens, & ad nos omnes etiam dicit: *Induite vos ſicut electi Dei, Sancti & dilecti, viſcera miſericordiæ*, ideſt ſicut Pater filiis, miſerendo peccata proximi tui, qui te injuſtè in curiis vexat, & non eſt indutus viſcera miſericordiæ, ſicut electi & dilecti Dei, *benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam; ſupportantes invicem, & donantes vobis metipſis*, (*b*) quia remittere injurias in injuſta lite nobis mota, vel quovis alio modo nobis gravantibus, hoc donare eſt nobis metipſis meritum æternæ beatitudinis, veram Eleemoſynam

ani-

(a) 1. Cor. 1. 9. (b) *Coloſſens.* 3. 12.

Digitized by Google

animæ noſtræ faciendo : *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam,* (*a*) ſcilicet innocentiam, & juris rationis aſſiſtentiam : & nota quomodo ſe clariùs explicat Apoſtolus dicens, *ſi quis adverſus aliquem habet quærelam*, conqueritur enim valdè, innocens tractus in curiis ad reſpondendum injuſtis prætentionibus ; ſed dicit, *ſicut & Dominus donavit vobis, ità & vos*. Et concludit ſermonem, dicens, *Super omnia autem hæc; Charitatem habete, quòd eſt vinculum perfectionis, & pax CHRISTI exultet in cordibus veſtris,* (*b*) ſcilicet non litigantes nec conrixantes invicem, in quo pax Chriſti eſſe non poteſt; Sicut dixit ad Titum : *Admone illos, non litigioſos eſſe,* (*c*) Quia ſcriptum eſt : *Homo perverſus ſuſcitat lites* : (*d*) & rationem adducit ad Timoteum. *Servum autem Domini, non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes docibilem* : (*e*) *Et pax CHRISTI exultet in cordibus veſtris, in qua & vocati eſtis in uno corpore, & grati eſtote.* (*f*)

Gra-

(a) *Matt.* 5.10. (b) *Coloſſ.* 3.12. *& ſeq.*
(c) *Tit.* 3.1. *& ſeq.* (d) *Proverb.* 16.28.
(e) 2. *Timot.* 2.24. (f) *Coloſſ.* 3.15.

Grati ſcilicet gratiæ Dei, quæ nobis donata eſt in pace CHRISTI, quando: *Subitò facta eſt multitudo Angelorum canentium & dicentium: Et pax hominibus bonæ voluntatis*. (a) Bona voluntas non poteſt eſſe litigantibus & contrixantibus; nam *odium concitant rixæ*, & ideo non eſt pax illis Dei, ſicut ſcriptum eſt: *Non eſt pax impiis*: (b) Impii enim *homines perverſi ſuſcitant lites*. (c) *Abſtine* ergo *te à lite*, Spiritusſanctus præcipit, *& minues peccata*; (d) ſcilicet non odium, non rixæ, non inimicitiæ, non ira erit tibi nec ſuperbia.

Sufferentes, inquit, *vos invicem*, hoc eſt dicit Chryſoſtomus, dimittentes noxam; & vide quomodo nihil illam eſſe oſtendit, dum querelam vocat & dicit, *quemadmodum & CHRISTUS condonavit vobis*: Magnum exemplum hoc quidem ſemper facit, ad CHRISTUM illos incitans. Querelam inquit, ſed quando exemplum adduxit, condonandum eſſe perſuaſit: etiamſi magna conqueri poſſemus; illud enim que-

(a) *Luc.2.13.* (b) *Iſa.57.20.*
(c) *Proverb.16.28.* (d) *Eccleſ.28.10*

Digitized by Google

quemadmodum & CHRISTUS, hoc innuit. Et non hoc ſolùm ſed quod ex toto corde condonandum ſit. Et neque iſtud dumtaxat, ſed quod diligere debeamus. CHRISTUS enim in medium adductus, omnia iſta ſecum advehit; etiamſi magna condonanda ſint, & ſi nihil antea læſerimus, & ſi nos magni ſumus, illi verò modici, & ſi contumelia nos etiam poſt iſta affecturi ſint, etſi animam pro ipſis ponere oporteat. *Majorem dilectionem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*, (*a*) ideſt proximis fratribus ſuis; & probat idem Evangeliſta rationem, dicens: *Animam ſuam ille*, ſcilicet CHRISTUS, *poſuit pro nobis, & nos debemus animas ponere pro fratribus*. (*b*) Juſtus namque quemadmodum CHRISTUS, iſta exigit, & quod non ſolùm ad mortem uſque in iſtis perſiſtere debemus, ſed & poſteà, ſi poſſibile ſit. *Super omnia autem hæc charitatem habere, quod eſt vinculum perfectionis*, (c) Vides quod hoc dicat?

Quo-

(a) *Joan*. 15. 13. (b) 1. *Joan*. 3. 16. *& ſeq*.
(c) *Coloſſ*. 3. 14.

Quoniam enim fieri poteſt , ut qui condonet offenſam,non diligat,etiam diligere , inquit , oportet . Et viam oſtendit per quam poſſibile fiat , ut condonemus . Poteſt enim quis & comis eſſe , & manſuetus , & modeſtus , & longanimis ; & tamen nullius affectione affici . Propterea exorſus dixit: *Viſcera miſericordiæ,*(*a*) & dilectionem, & miſericordiam . *Super omnia autem hæc, Charitatem , quæ eſt vinculum perfectionis* . (*b*) Quod verò dicere vult, hoc eſt:Nihil illa proderunt,peribunt omnia, niſi cum charitate conjuncta fuerint:iſta conſtringit , & complectitur omnia. Quodcumque bonum dixeris , niſi adſit Charitas, nihil eſt ,ſed planè defluit , (*c*) ſicut clariùs alibi dixit de omnibus virtutibus , concludens : *Si Charitatem non habuero , nihil mihi prodeſt.* (*d*) *Charitatem* dicit, ſcilicet omnia virtutis opera perpetrare cum recta intentione , ideſt propter Deum , & charitatem Dei erga nos , alioqui ad nihilum proſunt omnes aliæ virtutes, etiam

(a) *Coloſſ.3.12.* (b) *Coloſſ.3.14* (c)*Chryſoſt. hom.7.in Epiſt.ad Coloſſ.3.pag.mihi 468.col.4* (d) *1.Cor.13.3.*

etiam *ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas*, ſed non propter Deum, *nihil mihi prodeſt*, (*a*) hæc Eleemoſyna.

Quid cogitas, quare CHRISTUS petenti, ut præciperet dividi hæreditatem cum fratre, noluit acquieſcere? *Dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem: At ille dixit ei: Homo*, nota ly *homo*, quaſi terrenus de terrenis cogitaret, *quis me conſtituit judicem, aut diviſorem ſupra vos? Dixitque ad illos*, ſcilicet ad illos, qui non homines, ſed ſicut Angeli de cœleſtibus cogitabant, ideſt Apoſtolos ac diſcipulos, & ad nos omnes: *Videte & cavete ab omni avaritia, quia non in abundantia cujuſquam vita ejus eſt, ex his quę poſſidet*, (*b*) ab omni avaritia dicit, ergo avaritia eſt pro temporali intereſſe vano, quærere portionem litigando: Hi duo fratres, quia de hereditate paterna dividenda contendebant, & litigabant, conſequens erat, ut alter alterutrum fraudare intenderet. Dominus autem docens nos, quod non oportet ad terre-

(a) 1. *Cor*. 13. 3. (b) *Luc*. 12. 14.

Digitized by Google

rena flecti, repellit vocantem eum ad hæreditatis diviſionem. (*a*) Qui magiſtro (inquit Venerabilis) ſupernæ pacis gaudia commendanti, terrenæ diviſionis vult ingerere moleſtiam, meritò *homo* vocatur, ſicut ſcriptum eſt: *Cum ſit inter vos zelus & contentio, nonne homines eſtis?* Homines ſcilicet, ſed non Dei imagines. Occaſione autem hujus ſtulti petitoris adverſus avaritię peſtem, & turbas, etiam diſcipulos præceptis pariter & exemplis munire ſatagit; unde ſequitur: *dixit ad illos: Videte & cavete ab omni avaritia, &c.* dicit autem *ab omni*; quia nonnulla ſimpliciter geri videntur (ſcilicet juſtè petendo) ſed internus arbiter, qua intentione fiant dijudicat, (*b*) hoc eſt, ſi intentione avaritiæ, & concupiſcentiæ bonorum temporalium, ultra neceſſitatem; Nam quæ ultra neceſſitatem corporis, & ſtatus ſunt, noſtra non ſunt, ſuperflua; & ideo contentio, ſchiſma, & lites pro illorum con-

cu-

(a) *D. Thom. in Cath. aur. in Luc. 12. mihi pag. 1019.* (b) *S. Beda in Luc. 12. cap. 53. in princ. to. 5. Ex caten. aur. Div. Tho. mihi pag. 1019.*

Digitized by Google

cupiſcentia, quæ noſtra non ſunt ſed aliorum, qui vel pauperes, vel non pauperes ſint, quid ad nos? habeant illi, quæ jam noſtra non ſunt, quia ſuperflua, nihil injuriæ recipimus; (*a*) licèt per civiles & municipales leges mundi ad nos pertinerent; per Evangelicam verò nequaquam; quia ſuperflua noſtra non ſunt, ſed Dei, prius dantis; Ipſe dixit: *Mea enim ſunt omnia,* (*b*) qui permittit, ut alii concupiſcant illa, itaut nos in patientia verſati, nihil quæramus, ni tantùm quæ Dei ſunt, ſcilicet Spiritualia, Divina, æterna, non temporalia, vana & caduca: citò, velimus nolimus, aliis relinquenda, vel ab aliis accipienda. Id ipſum declarat D. Thomas ex Theophylacto, dicens: Hoc dicit Dominus, refellens avarorum intentiones, qui videntur coacervare divitias, quaſi diù victuri: ſed numquid te opulentia longevum efficiet? Quid igitur manifeſtè ſuſtines mala incertæ cauſa quietis. Nam dubium eſt, an debeas attingere ſe-

(a) Licet juſtè petatur tamen perſæpè ex avaritia & concupiſcentia bonorum temporalium petitur litigando. (b) *Exod.* 13. 3.

Digitized by Google

ſenium, cujus gratia theſaurizas. (a) Vel dicit ab omni avaritia, inquit Chryſoſtomus, ſcilicet magna & parva. Eſt enim inutilis avaritia: dicente Domino: *Domos zelatas edificabitis, & non habitabitis in eis*. Sed & ſecundum alium modum eſt inutilis, quem oſtendit ſubdens: *Quia non in abundantia, &c.* (b) Undè non immeritò (inquit Ambroſius) refutatur hic frater, qui diſpenſatorem Cœleſtium geſtabat corruptibilibus occupare; Cum inter fratres, patrimonium, non Judex medius, ſed pietas debeat ſequeſtra dividere, quamquam immortalitatis patrimonium, non pecuniæ ſit hominibus expectandum. (c) Quid aliud declarat in eo quod dicit: *non judex medius, ſed pietas, &c.* niſi non litigioſum eſſe pro vili intereſſe Chriſtianum, nec ad Judicem accedere, ut compellatur frater? Ad perfectionem loquor: *Et adhuc excellentiorem viam* vo-

(a) *D. Thom. in caten. aur. ſuper luc.* 12. *pag. mihi* 1020 (b) *Chryſoſt. in Caten. aur. D. Thom. in luc.* 12. (d) *S. Ambroſ. tom.* 5. *lib.* 7. *in Luc. in cap. de reſponſ. Dom. circ. princ. ex caten. aur. D. Thom. pag. mihi* 1019.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

vobis demonſtro: CHARITAS. (*a*) Olim, quærit Pilatus: Quid eſt veritas? (*b*) quia neſciebat nec credebat. Nos hic: Quid eſt CHARITAS? quia non cognoſcitur, Theologi: Virtus eſt, ajunt, qua homo diligit Deum & hominem, ſed tam Deum quam hominem propter Deum. (*c*) De amore hoc gemino, eleganter Auguſtinus: Dei dilectio, inquit, prior eſt ordine præcipiendi; proximi autem dilectio, prior eſt ordine faciendi. Neque enim qui tibi præciperet dilectionem iſtam in duobus præceptis, prius tibi commendaret proximum, & poſteà Deum, ſed priùs Deum, poſteà proximum. Addidit: Tu autem quia Deum non vides, diligendo proximum quem vides, promereris, & purgas oculum ad eum evidenter videndum, quem nondum vides: (*d*) & quia dicit: *Simile eſt huic: Dilige proximum tuum ſicut teipſum*, (*e*) declarat ſimilitudinem pręcepti Dei dile-

(a) 1.*Cor.* 12.*in fin.* & *cap.*13.*per tot.*
(b) *Ioan.* 18.38. (c) *Hierem. Drexel. in Roſa Mariana Part.* 1. *cap.*1.§.3.*circ.fin.*
(d) *S. Auguſt.tract.* 17. *in Ioan.cap.*5.
(e) *Matt.*22. 39

dilectionis & proximi;quia per proximi dilectionem , amor Dei nutritur. Tunc plenius, inquit Gregorius, in Dei dilectione proficimus, cũ in ejuſdem dilectionis gremio, prius proximi Charitate lætamur. (*a*) Et alibi: Per amorem Dei, amor proximi gignitur, & per amorem proximi,amor Dei nutritur. Nam qui amare proximum negligit, profectò Deum diligere neſcit, & tunc plenius in Dei dilectione proficimus,ſi in ejus dilectionis gremio, prius proximi charitate lætamur. Amor Dei, amorem proximi germinat, & amorem proximi calefacit amor Dei. (*b*) *Qui autem*,inquit Joannes, *non diligit fratrem ſuum quem videt, Deum quem non videt, quomodo poteſt diligere?* (*c*)

Principio ſit amor *verax*, qui in litigantibus omninò eſſe non poteſt. Nam juxtà præceptionem Apoſtoli, qui deſcribit CHARITATEM: hic re vera *non quærit quæ ſua ſunt*; (*d*) Sed è contra litigantes,contrà præceptum Do-

(a) *S. Gregor. lib. 5. moral.* (b) *S. Greg. in quadam hom. ſuper Evangel.* (c) *Joan. 4. 20.* (d) *1. Cor. 10. 24.*

Domini, *repetentes quæ ſua ſunt*. (*a*) Exemplo ſit Paulus, Dei, hominumque amantiſſimus, qui de ſe ipſo: *Non quærens*, inquit, *quod mihi utile eſt*, ſed *quod multis*. (*b*) Hinc ingenti ſpiritu auſus eſt dicere: *Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis*. (*c*) Hinc Epiſtolis Corinthum, Philippos, Theſſalonicam miſſis: *Cum liber eſſem*, inquit, *ex omnibus, omnium me ſervum feci, ut plures lucri facerem, etc.* (*d*) Hic ignis ampliſſimum Pauli pectus coquebat. En CHARITAS in excelſiorem viam demonſtrata. *Finis præcepti*, ait, *eſt* CHARITAS *de corde puro & conſcientia bona, & fide non ficta*. (*e*) *Quoniam Deus* CHARITAS *eſt*. (*f*)

VIdiſti forſan aliquem hominem Deo gratum, (g) aliquando litigaſſe tota peregrinatione vitæ ſuæ pro vili intereſſe temporali, & pro eo quod ſibi de jure Civili pertineret? Le-

(a) *Luc.* 6. 31. (b) 1. *Cor.* 10. 33. (c) *Rom.* 9. 3. (d) 1. *Cor.* 9. 19 & *ſeq.* (e) 1. *Tim.* 1. 5. (f) 1. *Jo.* 4. 9. (g) Nullus Sanctorum pro intereſſe proprio coram Iudice petitionem ſuam, licèt iuſtam porrexit ac litigavit, ut ſua repeteret.

Digitized by Google

Legi, relegi, perlegi; non inveni: De illis loquor à nobis cognitis, in gratia Dei fuere hac in vita, donis ac virtutibus decorati, & Sanctificati poſtmodum ab Eccleſia Dei. Omninò certè nullum, ex innumeris iſtis litigaſſe, ac petitiones ſuas in judicio, in foro verſanti, & coram Judice porrexiſſe, ratio enim Spirituſſanctus adducit, dicens: *Homo perverſus ſuſcitat lites*. (*a*) Tu verò Chriſtiane, licèt non poſitus in his ſingularibus donis & perfectionibus, & non ſanctificandus poſtmodum ab Eccleſia Catholica; ſed tamen electus Dei & prædeſtinatus ad gloriam, quomodo petitione porrecta ad judicem in judicio, contrà fratrem tuum accedis? *quomodo lites ſuſcitando non eris perverſus?* (*b*) Quomodo hoc tibi expedit? Quomodo oportet? Apoſtolo tubicinante: *Servum autem Domini, non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes docibilem.* (*c*) Et ad Titum: *Admone illos, non litigioſos eſſe, ſed modeſtos, omnem oſtendentes manſuetudinem*

B *ad*

(a) *Proverb.* 16. 28. (b) *Proverb.* 16. 28.
(c) 2. *Tim.* 2. 24.

Digitized by Google

ad omnes homines. (a) *Cum enim ſit inter vos zelus & contentio: nonne carnales eſtis, & ſecundum homines ambulatis?* (b) *Abſtine te à lite & minues peccata*. (c) Quæ utilitas in litigiis? In pietate verò eſt utilitas homini: *Pietas enim ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.* (d) *Fidelis ſermo, & de his volo te confirmare, ut curent bonis operibus præeſſe, qui credunt Deo. Hæc ſunt bona, & utilia hominibus, ſtultas autem quæſtiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis, devita; ſunt enim inutiles, & vanæ*. (e) *Honor eſt homini, qui ſeparat ſe à contentionibus:* (f) Honor, ſcilicet à Deo æternus: *Fili*, inquit Siracides, *in manſuetudine ſerva animam tuam, & da illi honorem, ſecundum meritum ſuum. Peccantem in animam ſuam, quis juſtificabit? & quis honorificabit exhonorantem animam ſuam?* (g) Noli ergo agere, frater mi, in judicio, ut tuæ Electioni & prædeſtinationi, honorique animæ tuę, obicem po-

(a) *Tit.*3.1.*& ſeq.* (b) 1.*Cor.*3.3. (c) *Eccl.* 28.10. (d) 1.*Tim.*4.8. (e) *Tit.*3.8. *& ſeq.* (f) *Prov.*20.3. (g) *Eccl.*6.31.

Digitized by Google

ponas: *Satagite* potius, *ut per bona opera, certam veſtram vocationem & electionem faciatis*. (*a*) Nam ſicut Deus ſcit mutare ſententiam, ſi tu noveris mutare delictum; (*b*) ità & è contrà Scit etiam Deus mutare gratiam ſuam, ſi tu non noveris mutare delictum, & ingratus eſſe gratiæ Dei. Deus enim, inquit Auguſtinus, qui creavit te ſinè te, non juſtificabit te ſinè te: Certum eſt enim apud omnes (Salmaticenſibus confirmantibus) Deum decreviſſe, non dare alicui adulto, æternam illam gloriam, niſi per modum coronæ, ac proindè ex cujuſque meritis. (*c*)

Prædicat Chriſtus: Prædicant Apoſtoli: Prædicant Sancti Patres, & Eccleſia Sancta: Sinè operibus bonis meritoriis copiosè factis, nemo ſalvatur, nemo videbit Gloriam Dei, *& Deum ſicuti eſt*; (*d*) ſed quis audit? Quis credit fide viva & non mortua? *Omnes declinaverunt, inutiles facti ſunt in ſtudiis*

 ſuis;

(a) 2. *Petr.* 10. (b) *S. Auguſt.* 1.
(c) *Salmaticenſ. de Prædeſtinat. diſput.* 9. *n.* 114.
(d) 1. *Joan.* 3. 2. & 3.

Digitized by Google

ſuis; non eſt qui faciat bonum,(*a*) quia in ſtudiis ſuis, ſcilicet temporalium rerum concupiſcentiis vanis & inutilibus declinant, & non ad vera bona æterna, quæ habemus per Eleemoſynam, miſericordiam, & pietatem: *Pietas enim ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt & futuræ.* (*b*) *O generatio incredula, & perverſa.* (*c*) Forſan tantùm ad Hebręos, hęc eſt reprehentio? Omnibus certè. Cum enim audis: O' natio (inquit Præſul Iſidorus Clarius) apertè intelligis gentis ipſius infidelitatem, pravitatemque reprehendi. Duo autem in eis reprehendit, infidelitatem, & perverſitatem; Ad infidelitatem pertinebat, quod fidem non habebant Chriſto, cujus & adventum, & adventus ſigna, tam ſæpè Prophetæ prædixerant; quæ ſi Judei, præſertim ſcribæ & Phariſei obſervare voluiſſent, & Prophætarum ſtudio, ſinè odio atque invidia aſſiduè incumbere, quemadmodum admonebat eos CHRISTUS,

cum

(a) *Pſ.* 52.4. (b) 1. *Tim.* 4.8.
(c) *Luc.* 9. 41. & *Matt.* 17. 17.

cum diceret: *Scrutamini Scripturas, ipſæ enim teſtimonium perhibent de me*, (*a*) procul dubio illum agnoviſſent, & credere in eum potuiſſent. Perverſitas verò, ideſt, vitæ, & morum pravitas, ab ipſa infidelitate oriebatur. Ubi enim rectam quis fidem non tenet, nec vitam quidem ſinceram habere poteſt. (*b*) Non immeritò, nunc dici poteſt, fidem non habemus CHRISTO, qui dicit: *Scrutamini Scripturas, ipſæ enim teſtimonium perhibent de me*, (*c*) ſcilicet de veritate, quam vobis prædico. Quæ? *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem*. (*d*) *Vendite quæ poſſidetis, & date Eleemoſynam. Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* (*e*) Hæc opera facite, & mandata ſervaſtis: *Qui diligit proximum, legem implevit*. (*f*) Hoc non obſtante, non credimus; Quia opere non facimus, & quærimus, *ut oſtendatur nobis Pater*. (g) Et ſi hoc quærebat Philippus, non mirum; non dum enim venerat Paracle-

(a) *Joan.5.36.* (b) *Iſidorus Clarius orat.51. in Evang. ſecund.Luc.* (c) *Jo:5.36.*
(d) *Jo: 13. 34.* ( ) *Matt.19.17.*
(f) *Rom.13.8.* (g) *Jo:14.8.*

Digitized by Google

tus in illo: Sed nobis quia jam *venit à Patre miſſus, & docuit nobis omnem veritatem*; (*a*) quomodo non credimus, & ambulamus in perverſitate vitæ, & morum pravitate? Ubi enim rectam quis fidem non tenet; nec vitam quidem ſinceram habere poteſt. Quin & ipſa eorum, qui ſe catholicos profitentur (idem Iſidorus inquit) deprava vita, & minimè ſincera, minimèque ſolida fide proficiſcitur. Si enim nunc, maximam hominum partem interroges de Chriſtianorum dogmatum veritate, nihil ferè aliud reſpondere norunt, niſi quod profitentur, ſe ea credere, quæ Catholica credit Eccleſia; quod ſummæ inertiæ, atque ſocordiæ indicium eſt; Dum nullum ſeponunt tempus, perveſtigandis tam mirificis miſteriis (quę ſit Charitas & Pax CHRISTI nobis relicta, & quomodo: *Eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt quæ purgat peccata, & facit invenire miſericordiam & vitam æternam*) (*b*) nullo affectu in eorum contemplationem & amorem rapiuntur;

(a) Jo: 14. 26. & 16. 13. (b) *Tob.* 12. 9.

Digitized by Google

tur; Quare neceſſe eſt, ut tam informem fidem, etiam deformis vita comitetur. (*a*) Verè dicit ad Patrem CHRISTUS: *Mundus te non cognovit*, (*b*) ſcilicet homines mundiales, in curis & ſtudiis hujus ſæculi ſatagentes: Sed non pro mundo rogavit, ſed pro nobis omnibus, qui Dei ſumus, (*c*) ut unum ſimus in Pace & Charitate CHRISTI diligentes invicem, ſicut Deus dilexit nos. *O Domine adauge nobis fidem*, (*d*) *& adjuva incredulitatem noſtram*, (*e*) ut de mundo non ſimus, quia pro mundo non oraſti Patrem, ſed pro nobis, quos Pater tibi dedit, renatos ad gratiam ſuam.

In primitiva Eccleſia, nemo Chriſtianorum litigabat ad invicem, ſed omnes in Charitate erant: *perſeverantes in doctrina Apoſtolorum*; (*f*) & multo poſt Evangelium Dei exercentes & obſervantes, nihil inter eos ſchiſmata, & jurgia habuerunt pro vili proprio intereſſe, pecuniis, vectigali-

 bus,

(a) *Iſidorus Clarius in Evang. ſecund. Luc. orat.* 51. (b) *Jo*: 17.25. (c) Jo: 17.9. (d) *Luc.* 17.6. (e) *Marc.* 9.24. (f) *Act.* 2.24.

bus, ſtabilibus & mobilibus; forſan nunc, mutatum eſt Evangelium? Abſit: *Evangelium* enim *æternum*,(*a*)Evãgelium CHRISTI.Sed dices; litigia justa, licita ſunt in foro verſanti; & juſtè litigare Eccleſia Sancta non prohibet, ſed permittit. Haud contrà, dico.Sed *adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro*: CHARITAS (*b*) Permittit Eccleſia, ſed non præcipit: Aliud eſt permittere, aliud eſt præcipere, inquit Chryſoſtomus, quod enim præcipimus ſemper placet: Quod autem permittimus, nolentes permittimus, quia malam voluntatem hominum ad plenum prohibere non poſſumus. (*c*)

Licet igitur, ſed non expedit, ſicut alii dicunt (inquit Chartuſianus) teſtante Apoſtolo: *Iam quidem omninò delictum eſt in vobis,quod judicia habetis inter vos*:(*d*) Hoc eſt (inquit Theophilactus) in condemnationem,& ignominiam cedit, quia judicia inter vos exercetis. Inter voſmet autem dixit,

quia

(a) *Apoc.14. 6.* (b) *1.Cor.12. in fin. & cap. 13.per tot.* (c) *S.Ioan.Chryſ. hom.32. in Matt.19. to.2. mihi pag.322. col.4.circ.fin.* (d) *1.Cor.6*

quia non minoris, cum Chriſtiani ſimus, fratres debemus ac noſipſos exſtimare. (a) Magis clarè ac diſtinctè Chartuſianus commentat ad propoſitum dicens : *Omninò delictum*, &c. ideſt, hoc ipſum veſtro peccato agitur, atque peccatum eſt, quod inter vos negocia, judicio determinanda, habetis, inter quos quies & Pax eſſe deberet. Undè concludit Auguſtinus; Peccatum eſt judicium habere contrà fratrem. Pro cujus ſano intellectu habendo, addit periphraſtes; Perfectis licet repetere ſua ſimpliciter, ſed ſinè cauſa, ſinè lite, ſinè judicio: ſed non convenit eis inde movere cauſam ante Judicem. Infirmis (b) verò licet repetere ſua, cauſam movendo coràm Judice, & judicium habendo contrà fratrem, ſed non contentioſè, vel fraudulenter, nec apud Judices infideles. Sed nec hoc videtur ſatis reſolutum. Eccleſia enim non errat habendo judicia: & quod religioſi ac perfecti poſſunt repetere ſua, tanquam

(a) *Theophilact. enarrat. in Epiſt. ad Corint.* 1. *cap.* 6. (b) *Infirmi ſunt peccatores.*

quam communia, non ut propria. Alii igitur dicunt quod liceat, non autem expediat ſæcularia habere judicia: (*a*) Hæc Chartuſianus, ſemper verò hoc intelligimus poſſe licere & permitti de neceſſariis, non autem de ſuperfluis. Hoc eſt quod dicit Bernardus: Quotidie perſtrepunt in Palatio leges, ſed Juſtiniani, non Domini; juſtè ne etiam iſtud? &c. Nam certè *lex Domini immaculata convertens animas*. (*b*) Hæ autem non tam leges quàm lites ſunt, & cavillationes ſubvertentes judicium, &c. (*c*) *Quare vos*, inquit CHRISTUS, *tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram, &c. irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram, &c. Populus hic, labiis me honorat, cor autem longè eſt à me. Sinè cauſa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.* (*d*)

Hanc veritatem rectè cognoverunt

(a) *Div. Dionyſ. Chartuſian. commentar. in Epiſt. ad* 1. *Cor.* 6. *art.* 9. *circ. med. mihi pag.* 111. *in fine &* 110. *in prin.* (b) *Pſalm.* 18. 8

(c) *S. Bernard. in hoc loco de conſiderat. ad Eugenium lib.* 1. *cap.* 4. *lege totum*,

(d) *Matt.* 15. 3. *ad* 9.

runt perfecti religioſi illi Viri è Societate J E S U, (*a*) quando edificabatur Neapoli Eccleſia domus propheſſæ : Nam Roberta Garafa Antonii Principis Stigliani filia, Duciſſa Mataloni, quæ priùs fundavit principale Collegium Societatis, dilexit etiam ut eſſet Fundatrix domus propheſſæ : Hoc feliciter ad tempus proceſſit ; ſed ipſa deficiente, hæres annualem magnam nimis contributionem recuſavit ; ſicut Roberta ſtatuerat : & licèt imperfecta remaneret conſtructio Eccleſiæ ; tamen Patres illi Societatis dilexerunt potiùs expectare Dei providentiam ad Eccleſia complendam, quàm litigio, (licèt juſto, ex ſtatuto Robertæ) contrà hæreditatem agere ſuaque repetere, & hæredem in foro & coràm Judice convenire, ac eorum juſtas petitio-

(a) Nota heroicam virtutem Patrum ſocietatis JESU in ævo illius ſocietatis : nolle repetere quæ ſua erant cum litigio. O Domine in hac firmitate, & Heroica virtute fac ut omnes maneant ſemper.

Digitized by Google

nes porrigere : (*a*) dilexerunt magis Pacem, quietemque religioſam, quam quotidie circuire Civitatem per domos Judicum habentes litigium , & foro etiam quotidie aſſiſtere litigando, etſi pro juſta cauſa, contrà proximum noluerunt litigare, ut dilectionem proximi exercerent, & *Evangelium pacis* (*b*) haberent. Certè quidem quod *Evangelium noſtrum non fuit ad illos in ſermone tantùm, ſed in virtute* (*c*) à Sapiente edocti,ut peccata minuantur: qui dicit: *Abſtine te à lite,& minues peccata*. (*d*) Sed ſi cauſam hujus virtutis perquirimus, metipſe Author demonſtrat:Societas enim illa tunc paupera ex Eleemoſynis vivebat. (*e*) Nota heroicam virtutem Eleemoſynæ, tam in dante, quàm in recipiente ; & iterum nota Dei providentiam favore non litigantium ; & non repetentium quæ ſua ſunt cum lite & coram Ju-

(a) *Hæc ſunt verba ad litteram Rev.Patr. Franciſci Schinoſi Soc. IESV in vit. Franc. Theodori Sanſeverini Ducis S.Marci pag.7. & 80.*

(b) *Eccleſ.6.16.* (c) *1.Theſſalonic.1.15.*

(d) *Eccl.28.10* (e) *P.Franciſc.Schinoſi loc.cit.*

Digitized by Google

Judice: (*a*) Paulò poſt, id quod defecerat ad complendam propheſſam domum prædictam ex hæreditate Robertæ hæredum culpa: loco ſui ſubſtituit Dei providentia Eliſabettam, ſeu Iſabellam Feltria dela Rovere ex Guidobaldo Quinto Duce Urbinate natam, Principiſſam Biſignani, & Franciſcum Theodorum Sanſeverinum filium, ut daret illis meritum fundationis, ex quorum expenſis completa eſt domus & Eccleſia: (*b*) Fidè ſtà noli timere, ſi *non repetas quæ tua ſunt* (*c*) litigando, juxtà præceptum Domini: nullum detrimentum erit tibi; Deus & omnes *Angeli pacis non flebunt amarè*, (*d*) ſed gaudebunt videndo, *pacem & gaudium ab illis, hominibus annunciatum* (*e*) operibus perfici, & ſi tua perdidiſti non repetendo à proximo fratre tuo, alio modo, & per aliam viam retribuentur tibi bona illa perdita, ex Dei providentia; ſi fide viva credis in Dei bonitate, miſeri-

cor-

(a) Providentia Dei etiam in vſibilibus quotidie demonſtratur. (b) *Id. P. Schinoſi loc.cit.in fin.* (c) *Luc.*6.31. (d) *Iſa.* 33.7. (e) *Luc.* 2. 10.& 14.

cordia, & providentia, actum heroicum Deo & Angelis placentem, etiam pro juſta cauſa non litigando, perpetrabis.

Scimus autem quod nunc Veritas hæc, quę ad perfectionem loquitur, modicum perſuadet. Sed quare, vel quomodo? *Numquid Iſrael non cognovit?* (*a*) Non erit forſan Chriſtiano Evangelica perſuaſio? Abſit: *Et quidem in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* (*b*) Erit ergo certè Evangelica perſuaſio per lumen & gratiam Dei, virtutemque Spirituſſancti, qui *ubi vult Spirat* (*c*) & quomodo vult, & cui vult: Cui vult audire pulſantem ſpiritum, ſicut ſcriptum eſt: *Ego ſto ad oſtium & pulſo*. (*d*) Sed quomodo audiet pulſantem gratiam, qui tumultuantem domum habet; domum ſcilicet animum, tot concupiſcentiis & commodis temporalibus plenum? Tot litigiis involutum, odio, ira & animi in-

(a) *Rom.* 10. 19. (b) *Rom.* 10. 18.
(c) *Joan.* 3. 8. & 1. *Corint.* 12. & 13.
(d) *Apocal.* 3. 20.

Digitized by Google

inquietudine, atque vindicta? Verè dicit CHRISTUS Dominus noſter, quod: *Non omnes capiunt Verbum hoc, ſed quibus datum eſt*: (*a*) datum ſcilicet illis qui non terrena concupiſcunt, ſed Cœleſtia: datum eſt vitam perfectam habere: *Hi audiunt Verbum Dei, & cuſtodiunt illud*, (*b*) & ideo perfecti, *Beati* in Evangelio declarati: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*. (*c*) Imitemur ergo ò fratres in Chriſto JESU Matrem Domini MARIAM, *& conſervemus omnia verba hæc, conferentes ea in cordibus noſtris*. (*d*)

De reliquo verò, quia in primitiva Eccleſia *fiebat omni animæ timor*, (*e*) *& ideo erant unanimiter perſeverantes in doctrina Apoſtolorum*, (*f*) ſcilicet in perfectione Evangelica: Timor autem per virtutem ſtupendorum miraculorum, & Dei ultionem in contravenientes. (*g*) Nunc verò timor receſſit, & quadam vana fiducia homines repleti in Dei miſericordia & CHRI-

STI

(a) *Matt.* 19. 11. & 13. (b) *Luc.* 11. 28. (c) *Matt.* 5. 9. (d) *Luc.* 2. 51. (e) *Act.* 2. 43. (f) *Act. loc. cit.* (g) *Act.* 5. 1. *ad.* 11

STI Paſſione, ſinè operibus bonis, vitæ æternæ meritoriis: quod valdè deplorabile eſt; Non enim nunc vident, nec experiuntur in præſenti judicia Dei, ſicut ævo Apoſtolorum in *Anania, & Saphira*, (a) ut factus eſſet timor magnus in universa Eccleſia, contrà illos, bona temporalia concupiſcentes: Sed non receſſit timor ab Evangelio æterno, & pœna in contravenientes, *quod pacem nobis annunciavit*, (b) non jurgia, non lites, non Schiſmata; ſed, *Dare*: *Date*, inquit, ſcilicet bona temporalia, *& dabitur vobis*, (c) ſcilicet bonum æternæ beatitudinis Beati Dei: *Date Eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis*, (d) ut mundati per Eleemoſynam, poſſimus intrare in gloriam Dei: *Vendite quæ poſſidetis, & date Eleemoſynam, &c.* (e) Præcipit, imperativo modo, dare, & vendere poſſeſſa pro fratruum neceſſitate, haud litigare contrà fratres, pro bonis, quæ jubet, & dare, & vendere, ut dentur aliis neceſ-

(a) *Act. 4. 1. ad* 11. (b) *Luc.* 2. 10. *&* 14.
(c) *Luc.* 6. 38. (d) *Luc.* 11. 41. (e) *Luc.* 12. 33.

Digitized by Google

ceſſitatem habentibus. Hoc non obſtante: *Avaritia in capite omnium*: (*a*) *Et pecuniæ obediũt omnia*:(*b*) *Eſt Deus in Cœlis, qui intuetur cor hominis, & omnia occulta hominis rimatur*: (*c*) qui judicat omnia opera hominis, ſive bona in perfectione ad gloriam, ſive mala ad perditionem. Chriſtiani tam injuſtè litigioſi, certè, de illis ſunt, quorum loquitur Apoſtolus: *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant*, (*d*) ſub ratione Hieremiæ. *A minimo, uſque ad maximum, omnes avaritiæ ſtudent, &c.* (*e*) *Sapientes ſunt, ut faciant mala, benè autem facere neſciunt*. (*f*) Scient enim quod certè *veniet filius hominis in Majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo judicaturus fines terræ*; & dicet: *Venite benedicti Patris mei poſſidete Regnum* (*g*) non alia de cauſa, niſi quia miſericordiæ & Charitatis opera fecerunt, pacem & dilectionem cum omnibus habuerunt, nullo proprio in-

(a) *Amos* 9.1. (b) *Eccl.* 10.20. (c) *Jerem.* 13. 9. *Pſ.* 7.10 & *Reg.* 11.7.1. (d) *Tit.* 1.16. (e) *Jerem.* 8.10. & *ſeq.* (f) *Jerem.* 4.22. (g) *Matt.* 25.31.

intereſſe pecuniarum , aliorumque , bona temporalia concupiſcentes; ſed dicentes in præſenti peregrinatione: *Non quod nobis utile eſt, ſed quod multis,* (*a*) ut Paulus. Alii verò , ſcilicet, reprobi audient illam terribilem & tremendam ſententiam : *Ite maledicti in ignem æternum* , (*b*) quia proprio intereſſe , non aliena pietate verſati fuerunt in mundo . *Noli* ergo *contendere verbis , ad nihilum enim utile eſt , niſi ad ſubverſionem audientium : Solicitè cura teipſum probabilem exibere Deo,* (*c*) ſcilicet in judicio Dei : *Fidelis ſermo , & omni acceptione dignus.* (*d*) *In hoc enim laboramus , & maledicimur , quia ſperamus in Deum , qui eſt SALVATOR omnium hominum, maximè fidelium. Præcipe hæc , & doce ,* non ſolùm Timoteo, hoc præcipit Apoſtolus,ſed omnibus, qui *attendunt lectioni exortationi, & doctrinæ* , (*e*) in ſacris paginis verſantes, *nemo adoleſcentiam tuam contemnat ; ſed exemplum eſto fidelium in verbo , et in* con-

(a) 1.Cor.10.33. (b) *Matt.* 25.31.& *ſeq.*
(c) 2.*Tim.*2.15 (d) 2. *Tim.*2.& 11. 1.*Tim.* 4.9. (e) 1.*Tim.*4.13.

converſatione, in charitate, in fide, in caſtitate: Noli negligere gratiam, quę in te eſt, etc. ſcilicet gratiam pertractandi Verbum Dei, *hęc meditare: in his eſto, ut profectus tuus manifeſtus ſit in omnibus: Attende tibi, et doctrinę; Inſta in illis,* nota quomodo præcipit, *hoc enim faciens, et teipſum ſalvum facies, et eos qui te audiunt,* (a) In hoc nos inſtamus: de cætero: *Nemo mihi moleſtus ſit*, (b) verba Apoſtoli mutuabor: Dilectione loquor, non odio. Docuimus ab Auguſtino hanc dilectionem, & libertatem loquendi; inquit enim: Dilige, & dic quicquid voles, (c) & alibi: Breve præceptum tibi præcipitur: Dilige, & fac quod vis: Sive taceas, dilectione taceas: ſive clames, dilectione clames: ſive emendes, dilectione emendes: ſive parcas, dilectione parcas. Radix ſit intus dilectionis; Non poteſt de illa radice, niſi bonum exire: (d) *In hoc manifeſti ſunt filii Dei, et filii diaboli.* (e) Dilectio ſola diſcernit

(a) *1.Tim.4.9.& ſeq.* (b) *Galat.6.17.*
(c) *S.Auguſt.ſuper Epiſt. ad Galat.*
(d) *S Aug. in lib.de laudibus Charitatis.*
(e) *1.Ioan.3.10.*

Digitized by Google

nit (metipſe inquit) inter filios Dei, & filios diaboli. Signent ſe omnes ſigno Crucis : reſpondeant omnes amen: Intrent Eccleſias : Impleant parietes Baſilicarum, non diſcernuntur filii Dei à filiis diaboli, niſi Charitate. Qui habent Charitatem, nati ſunt ex Deo; qui non habent Charitatem, non ſunt ex Deo. Magnum judicium, magna diſcretio: quidquid vis habere, hoc ſolùm niſi habeas, nihil tibi prodeſt : Alia ſi non habeas hoc habe, & impleſti legem, (*a*) inquit etiam quod raro, & magna neceſſitate, objurgationes adhibendæ ſunt: ità tamen ut in his etiam ipſis, non nobis, ſed Deo ſerviamus inſtemus. (*b*)

Quæ major neceſſitas eſt, æternæ hominum ſalutis? adhuc demonſtrando illis excellentiorem viam, ſcilicet, CHARITATEM, ut perfectus ſit homo Dei imago. Nam ſemper hoc Cap. ad perfectionem loquimur illis; quibus excellentiorem viam demonſtra-

(a) *S. Aug. loc. cit. & ſuper illud 1. Io: in hoc manifeſti ſunt filii Dei à filiis diaboli.*
(b) *S. Aug. lib. 2. de ſerm. Dom.*

ſtramus, & ad veram, & bonam, ac certam ſapientiam capeſſendam: *Sapientiam autem loquimur inter perfectos*, ſicut Paulus, *Sapientiam verò, non hujus ſæculi &c. ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio* (*a*): *Myſterium abſconditum ab origine mundi*. (*b*) Myſterium, ſcilicet CHARITAS, ſolis bonis, ac perfectis revelatum: & ideo dicit Dominus: *Non omnes capiunt Verbum hoc, ſed quibus datum eſt*. (*c*) *Non intelligent omnes impii, porrò docti intelligent*. (*d*) Docti, ſcilicet, non in acquiſitis ſcientiis, non in humanis litteris, ſed in doctrina ſpiritus, ſpiritualia comparantes. *Sapientia enim doctrinæ*, inquit Siracides, *ſecundum nomen eſt ejus, & non eſt multis manifeſta: quibus autem cognita eſt, permanet uſque ad conſpectum Dei*, (*e*) ſcilicet ad perfectionem & gaudium æternum. Sed dicet aliquis: Si quibus datum eſt, hi intelligunt; det Deus, & intelligam: alioquin in culpa non ſum. Breviter re-

(a) *1. Corint. 2. 5.* (b) *Coloſſ. 1. 26* (c) *Matt. 19. 11. & 13.* (d) *Dan. 12. 10.* (e) *Eccleſ. 6. 23.*

Digitized by Google

reſpondetur, & unum dicam ex multis. Cognoſcis non intelligere, & datum tibi à Deo non eſſe? Ora Dominum ut det donum intelligentiæ; ipſe dixit: *Petite, & dabitur vobis &c.*. (*a*) Hoc Divinæ providentiæ decretum eſt, gratias non largiri, niſi eas deſiderantibus & petentibus. Hinc CHRISTUS Samaritanæ: *Si ſcires*, inquit, *donum Dei, tu forſan petiſſes ab eo*. (*b*) Sed oratio ut ſit fructuoſa, & exaudiatur à Deo, oportet non ſolùm ut ſit aſſidua, devota, attenta, & repetita: *Oportet orare ſemper & non deficere*: (*c*) Verumetiam ut conſtitutus ſis in juſtitia, quantum in te eſt, delendo peccata per ſacramentum pænitentiæ, cum vitæ mutatione, non ſicut heri, ità, & hodie; ſcriptum eſt enim: *Non intelligent omnes impii; porrò docti intelligent*. (*d*) Similiter per Eleemoſynas, ut te diſponant ad gratiam, ut inquit Angelicus & certè recipies donum intelligentiæ veritatis Evangelicæ, ſi hoc modo præparave-

ris

(a) *Matt.7.7.* (b) *Joan.4.10.* (c) *Luc.18.1.*
(d) *Dan.12.10.*

Digitized by Google

ris ante orationem animam tuam, ſicut ſcriptum eſt: *Ante orationẽ prępara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo qui tentat Deum.* (*a*) Ecquid eſt præparare animam ſuam, niſi purgare animam ſuam à peccatis: Et poſteà orare Deum, ut fructuoſa ſit oratio; aliàs orare abſque hac præparatione, non ſolùm vana eſt oratio, non recipiendo quod petimus; imò tentare Deum eſt; & tentare Deum peccatum eſt. Præcedant itaque ea (inquit Peluſiota) quæ tuarum ſunt partium, quæque à te exiguntur: & tunc demùm ea, quæ ſunt auxilii divini & gratiæ, ſubſeſequentur. (*b*)

Inter orationis impedimenta, connumeratur *animi duritia*: quæ duplex eſt, illa in pauperes, hæc in inimicos & hoſtes. (*c*) Durus & aſper animus in pauperes, omnem orationis fructum eripit. Locupletiſſimus teſtis Salomon: *Qui obturat aurem ſuam*, inquit, *ad clamorem pauperis, & ipſe clama-*

(a) *Eccleſ. 18. 23.* (b) *S. Iſidor. Peluſiota lib. 2. Epiſtolar. Epiſt. 2. 4. & 12.*
(c) Orationis impedimenta.

clamabit, & non exaudiatur. (a) Mentionem injicit Hebræus Pſaltes: *Sicut aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas:* (b) Hæc enim quod Auguſtinus nos docet, ne carminum incantamenta percipiat, auriculam unam terræ admovet, alteram converſo ſyrmate oppilat: hunc ipſum exercet aſtum pecuniæ amans, qui hanc quidem aurem monetæ ſuæ applicat, quàm minimè minuendam, ſed aſſiduè augendam cenſet, alteram autem obſerat vana futuri ſollicitudine: Quid ergo, ait, in alios tam largus ſim, fortaſſis ipſe, penuria premendus? Quid filiis meis, quid hęredibus relinquam, ſi ærariolum meum tam maturè diſſipem?

En ſurdam aſpidem! Ità pauperum clamores obſtructis auribus excludit. Hic pro cauda eſt vivendi meta. Hæc enim cura plerumque diſtinet cruciatque deparcos, ne ſibi antè obitum deſint neceſſaria, vel ne filii tenuitatem patrimonii accuſent, & ideo litigatur pro concupiſcentia rerum temporalium. Quisquis igitur ſic aures ob-

(a) *Proverb.* 21. 13. (b) *Pſalm.* 57. 4.

obdurat, *clamabit, & ipſe non exaudietur*. Par pari refert Deus, & velut in os obiiciet: Sicut me ſæpius famelica pauperis voce clamantem non audiſti, itá nec ego te, quantumcumque clames, audiam. Clama quantum vis, & quantum potes, non audio: Miſericordiam & liberalitatem meam invoca, non audio; quia nec tu audiſti me clamantem ad te; tuas tibi vices refero. Monui & prædixi. Vis igitur cum clamaveris audiri? Tu quoque clamantes audi: Cave ullum è paupertina tribu immiſericorditer reiicias. Tibi dictum puta, quod filio injunxit Tobias: *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere; itá enim fiet, ut nec à te avertatur facies Domini.* (a)

Sed alia eſt animi durities in adverſarios, & hoſtes. Fruſtrà orat, qui ſuis obtrectatoribus & inimicis veniam negat. Apertiſſime præcipit Siracides: *Relinque proximo tuo nocenti te: & tunc deprecanti tibi, peccata ſolventur*. Intelligis hoc, & ca-

(a) *Tob.* 4. 7.

pis? Et an quod juberis facturus es? Juſſionis cauſas Siracides adjungit: *Homo homini reſervat iram & à Deo quærit medelam?* Nondum hæc capis, & nondum ignoſcis omnibus, qui te quovis modo, & quavis via lęſerunt? (*a*) Tam ſi civiliter quis injuſtè tractus in curiis & coràm Judice, quàm criminaliter ad ultionem contrà offendentem agere. Iterùm, atque iterùm, etiam infrà, in repetitione erimus, ſi forsàn audias. Audi ab eodem plura: *In hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam, & de peccatis ſuis deprecatur?* Non ſatis hæc luculenter dicta? Vis luculentiora? Idem divinus monitor addit: *Ipſe dum caro ſit, reſervat iram, & propitiationem petit à Deo? Quis exorabit pro delictis illius? Memento noviſſimorum, & deſine inimicari.* (*b*) Etiamnum deliberas an inimicis tuis ignoſcas? Num cupis clariora his clariſſimis? En ipſum tibi Solem meridianũ ſtatuo. CHRISTUS dilucidiſſimè: *Cum*, inquit, *ſtabi-*

(a) Infrà hæc & alia habes de inimicis & offenſoribus (b) *Eccleſ.* 28. 2. & *ſeq.*

ſtabitis ad orandum, dimittite ſi quid habetis adverſùs aliquem; ut & Pater veſter, qui in Cœlis eſt, dimittat vobis peccata veſtra. (*a*) Certè igitur quod ſi non dimittimus inimicis noſtris, offenſoribus noſtris in nos peccantibus, nec Deus dimittet nobis debita noſtra, delicta noſtra, peccata noſtra, & offenſas quas quotidie in Deum patramus. *Intelligis ne quæ legis?* (*b*) Interrogo ſicut Philippus Eunuco Reginæ Candacis. Credis ne fide viva & non mortua? Si credis ac intelligis,& opera facito: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* (*c*) Alioqui non erit tibi vita, nulla ſalus, ſed mors æterna. Nil aliud tibi præcipit Deus, niſi proximi dilectionem, ut Evangelium totamque legem adimpleas, ſicut ſcriptum eſt: *Qui diligit proximum legem implevit.* (*d*) *Hoc fac, & vives.* (*e*)

Hæc ipſo Sole clariora ſunt. Aut igitur inimicis veniam non nega, aut

(a) *Marc.*11.25. (b) *Act.*8.30. (c) *Matt.*19. 17. (d) *Rom.*13.8.& *Matt.*22.40. (e) *Luc.* 10.29.

non ora: Sic enim non fruſtra orabis. Quod Magiſter è Cœlo confirmans: *Si offers munus tuum ad altare,* inquit, *& ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te: relinque ibi munus tuum antè altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum.* (*a*) Nam ut ſcias, homicidarum munera Deo non ſunt accepta; quia odium in animo velut cruentam ſicam exacuit. Joannes Apoſtolus expreſſiſſimè declarat: *Omnis*, inquit, *qui odit fratrem ſuum homicida eſt: & ſcitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in ſemetipſo manentem.* (*b*) Affectu & animo certè homicidium coquit, qui odium admittit, & tantùm non perficit, quantùm non poteſt; aliàs cum poſſet perficeret. Ità Hieronymus: Cum homicidium, inquit, ex odio ſæpe naſcatur, quicumque odit, etiamſi necdum gladio percuſſerit, tamen homicida eſt. Nam odium eſt deſiderium homicidii plenum. Hinc plerum

(a) *Matth.* 5.24. & 25. (b) 1. *Jo:* 3. 15.

rumque qui averſo & hoſtili animo eſt, ſi adverſarium vel parvulo cochleari poſſet ſubmergere, hoc ſibi balneum jucundum, ac utile cenſeret. Igitur oraturus Deum, exue homicidam & indue Chriſtianum. Quod idem Auguſtinus crebrò inculcans: Odiſti fratrem, inquit, & ſecurus ambulas, & concordare non vis? Non agnoſcis quare tibi ſpatium dederit Deus? Ecce jam homicida es, & adhuc vivis? O quicumque ille es, attendis, quid tibi fecerit homo; & non attendis quid tu feceris Deo? Quare non dimittis homini parum, ut tibi Deus dignetur dimittere multum? (*a*) Ah non fratres, ſimus Chriſtiani à CHRISTO, & non homicidi à diabolo; quia ille *homicida erat ab initio*, (*b*) CHRISTUS *Deus Pacis*, (*c*) & *Princeps Pacis eſt*; (*d*) & Chriſtiani à CHRISTO dicti, Pacem cum omnibus ſemper habere debent, ut *Deus Pacis ſancti-*

(a) *S. Auguſt. ſerm. 7. de S. Stephano*
(b) *Jo:* 8. 44. (c) 1. *Theſſ.* 5. 22.
(d) *Iſa:* 48. 22.

ficet vos per omnia(a) *Ipſe enim* CHRISTUS *eſt pax noſtra*. (b) *Si fieri poteſt*, ſicut inquit Paulus, *quod ex vobis eſt cum omnibus hominibus pacem habentes; non vos metipſos defendentes chariſſimi*. (c) *Pacem ſequimini cum omnibus & Sanctimoniam, ſinè qua nemo videbit Deum*. (d) Hæc ſæpius inculcamus, adhibita continua repetitione, ſi forſan audiant litigantes & invicem conrixantes in curiis pro vili intereſſe temporali, pro vindicta contrà fratres peccantes, odium cum homicidio exercentes contrà præceptum Domini: Si fortè audiant & quieſcant. Frequenter enim, inquit Chryſoſtomus, ipſa eadem audire, etiam ſcientibus prodeſt: quod enim novimus, ſi ſæpius audiamus, ampliùs compungimur. (e)

Et quomodo orationem Dominicam recitas, ſi veniam inimico negas? Num totam profers? Totam inquis profero. Nihil ergo verborum reti-

(a) 1. *Theſſal*.5.22. (b) *Epheſ*.2.14. (c) *Rom*. 12.18. (d) *Hebr*. 12.14. (e) *S. Jo: Chryſ. ſerm*.2.*ſuper Epiſtol. Paul. ad Hebr*.

Digitized by Google

retices? Nihil, ais, reticeo, dico liberè: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* (*a*) Tu ne iſta? Ergo impudentiſſimè mentiris,& tuum ipſe collum laqueo induis, quando debita tuis debitoribus non dimittis. Quapropter & Auguſtinus ſeriò te interrogans: Ne, inquit, ignoſcas inimico, deviabis à CHRISTO? Dimitte illi veniam, ne dum fratri tuo negas miſericordiam, tibi claudas Patris indulgentiam. (*b*) Hæc Auguſtinus, monitis prolixioribus confirmans: Interrogate, inquit, quando rogatis Deum, corda veſtra; videtis quomodo tranſmittatis verſum iſtum: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Non eris orans, niſi iſta dicas; ſi alias dicas, non te exaudit ille, quia non ipſa tibi dictavit Juriſperitus quam miſit. Neceſsè eſt ergo, ut & quando verba noſtra dicimus in oratione, ſecundum ipſam dicamus; & quando ipſa verba di-

(a) *Matt.6.12.* (b) *S.Aug.tom.10.ſerm.27. & 182.de tempor.mihi pag.342.*

cimus, benè intelligamus quod dicimus; quia manifeſtam illam Deus eſſe voluit. Si ergo non oraveritis, ſpem non habebitis: Si aliter quam Magiſter docuit, oraveritis, non exaudiemini; aut ſi in oratione mentiti fueritis, non impetrabitis. Ergo & orandum, & verum dicendum eſt: & ſic orandum eſt, quomodo ille docuit. Velis, nolis, quotidiè dicturus es: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*. Vis ſecurus dicere? fac quod dicis. (*a*)

Secùs verò, idem Auguſtinus loquitur, cum quis odio dignus ſit, qua fronte gratiam requirit? Cui pœna debetur, qua temeritate gloriam depoſcit? Laceſſit Judicem, qui poſtpoſita ſatisfactione delicti, quærit præmiis honorari. Regi inſultat obnoxius ſupplicio, qui donari flagitat indebito bravio: & dulcem affectum Patris, ſtultus exacerbat filius, qui poſt illatas contumelias, antè pæni-

(a) *Idem S. Auguſt. tom. 8. in Pſal.* 103. *mihi pag.* 485.

Digitized by Google

nitudinem, hæreditatis uſurpat celſitudinem. (*a*) Chryſoſtomus Dei perſonam induens, inquit: Quo pacto vis ut ea, quæ in me peccaſti, dimittam, qui illorum, quæ in te deliquit proximus, cupis, atque oras ut ultor exiſtam? (*b*) Quapropter aut orare deſine, aut omnibus inimicis tuis, & offenſoribus tuis, omni modo, & quovis modo offenſionis veniam impertire, *ſi vis ad vitam ingredi, hoc mandatum ſerva*: (c) *Dilige proximum tuum ſicut te ipſum*; (*d*) *Hoc fac, & vives.* (*e*)

Cogunt multas invenire medicinas (inquit Auguſtinus) multorum experimenta morborum; Verùm in hujuſmodi cauſis, ubi pergraves diſſenſionum ſciſſuras, non hujus aut illius hominis periculum, ſed populorum ſtrages: Detrahendum eſt aliquid ſeveritati, ut majoribus malis ſanandis, Charitas ſincera ſubveniat

 O ſi

(a) *S. Auguſt. to. 9. in lib. Meditation. cap. 3. in princ.* (b) *S. Jo: Chryſoſt. homil. 5. in Epiſt. 1. ad Timoteum* (c) *Matt. 19. 17.* (d) *Matt. 22. 39.* (e) *Luc. 10. 28.*

(*a*) O ſi poſſemus excitare homines, & cum ipſis pariter excitari (mutuabor ab eodem Auguſtino verba hæc) ut tales eſſemus amatores vitæ permanentis, quales ſunt homines vitæ fugientis. (*b*) Deus ille noſter, *qui intuetur cor*, (*c*) ſcit intentionem & finem noſtrum, ſicut dicit Apoſtolus: *Teipſum ſalvum facies, & eos qui te audiunt*. (*d*) Intentio eſt, & propoſitum, docere animam noſtram, & unico actu, proximi dilectionem exercere; ſi poſſibile eſſet, ut *omnes homines ſalvi fierent*, (*e*) ſicut vult, & deſiderat Dominus noſter JESUS Chriſtus, paſſus hac intentione & fine, propter charitatem nimiam qua dilexit nos: Hunc finem ſectari debent omnes, qui CHRISTUM prædicant; ut homines *declinent à malo, & faciant bonum, & inhabitent in ſæculum ſæculi*; (*f*) Sicut etiam præcipit Paulus: *Odientes malum adherentes*

(a) *S. Auguſt. ad Bonifacium de correction. Donatiſtarum* (b) *S. Auguſt. de Doctrin. Chriſtiana.* (c) *Hierem.* 17. 9. & 1. *Reg.* 11. 7. & *Pſal.* 7. 10. (d) 1. *Timot.* 4. 16. (e) 1. *Timot.* 2. 4. (f) *Pſal.* 36. 27.

tes bono (*a*) non alio fine, nec alia intentione, aut temporalium deſiderio, & concupiſcentia: *Concupiſcentiæ enim*, inquit Dominus, *ſuffocant verbum Dei*, *& ſinè fructu efficitur*. (*b*) Et ideo dicit Siracides: *Poſt concupiſcentias tuas non eas*, *& à voluntate tua avertere. Si præſtes animæ tuæ concupiſcentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis*, (*c*) ſcilicet, dæmonibus.

Ex mundiali concupiſcentia carnis noſtræ, omnia mala animæ noſtræ proveniunt: *Undè bella & lites in vobis?* dicit Jacob, *nonne ex concupiſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris?* (*d*) Concupiſcentiis, ſcilicet, bonorum temporalium, honorum, facultatum, dignitatumque; ab hac concupiſcentia omnia mala proveniunt. Jacobus loquitur ibi (inquit Divus Thomas) de concupiſcentia, ſecundum quod eſt generale peccatum, ex quo omnia vitia oriuntur: *Bona eſt Lex, quæ dum concupiſcentiam*

 pro-

(a) *Rom.* 12. 9. (b) *Luc.* 14. 19. (c) *Ecc.* 18. 30. (d) *Jac.* 4. 1.

Digitized by Google

probibet,omne malum prohibet: (*a*) *Voluntas enim Dei eſt Sanctificatio noſtra,* (inquit Apoſtolus,) *ut ſciat unuſquiſque veſtrum, vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore, non in paſſione deſiderii, ſicut & gentes quæ ignorant Deum: & ne quis ſupergrediatur, neque circumveniat in negocio fratrem ſuum; quoniam vindex eſt Dominus de omnibus his*; (*b*) & licet intelligatur, *in negocio*, ideſt in mercatura, & fraude pretii; tamen in illud *circumveniat*, ideſt inquit Anſelmus, neque fraudulenter decipiat: (*c*) poteſt etiam intelligi de injuſta lite, in qua fraudulenter decipitur frater, injuſtè circumveniendo eum in curiis & Judicibus.

VErum etiam & aliquando (quod pejùs eſt) videtur injuſtas lites à Poteſtatibus foveri. Sed quis contrà hoc genus hominum loqui poteſt? *Tange montes, & fumigabunt.* (*d*) *Dii enim ſunt, & filii excelſi omnes*

(a) *D. Thom. 2. 2. queſt. 116. ad 1. in fin.*
(b) *1. Theſſalon. 4. 4. & ſeq.* (c) *S. Anſelm. enarrat. in Epiſt. ad Theſſal. 4.* (d) *Pſal. 143. 5.*

nes. (*a*) Quemadmodum licere credimus, non dicere, ſed tantùm nuda verba Jacobi Apoſtoli, & Sancti Pontificis Innocentii de his recitare, ut ſciant, & perficiant, mutati de malo in bonum; hi qui malè utuntur poteſtate; alii verò pauci, qui bene utuntur, proficiant in melius, & caveant à jam cognito malo: *Fratres mei*, inquit, *nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri* JESU *Chriſti gloriæ*. (*b*) *Etenim ſi introierit in conventum veſtrum vir aureum anulum habens in veſte candida: introjerit autem & pauper in ſordido habitu, & intendatis in eum, qui indutus eſt veſte præclara, & dixeritis ei: Tu ſede hic bene: Pauperi autem dicatis: tu ſta illic, aut ſede ſub ſcabello pedum meorum. Nonne judicatis apud vos metipſos, & facti eſtis judices cogitationum iniquarum? Audite fratres mei dilectiſſimi: Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo divites in fide, & hæredes Regni, quod repromiſit Deus dili-*

(a) *Pſalm.* 81.6. (b) Veſtis dives honoratur, paupera deſpicitur.

diligentibus ſe? Vos autem exhonoraſtis pauperem. Nonne divites per potentiam opprimunt vos, & ipſi trahunt vos ad judicia? Nonne ipſi blaſphemant bonum nomen, quod invocatum eſt ſuper vos. Si tamen legem perficitis regalem, ſecundum Scripturas: Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum, bene facitis; ſi autem perſonas accipitis, peccatum operamini, redarguti à lege, quaſi tranſgreſſores. (a) *Si autem ſciretis quid eſt miſericordiam volo, & non Sacrificium, numquam, condemnaſſetis innocentes.* (b)

Dicta proſequitur Innocentius, non alia intentione & cauſa increpandi, niſi amore charitatis & proximi dilectione motus, ut Eleemoſynam Spiritualem illis faciat ut corrigantur, & de malo, quod antè oculos eorum dilucidat, perficiant in bonum mutati, ſaltem formidine pænæ. Inquit enim cum Iſaia: Væ vobis, qui corrupti prece, vel pretio, qui fracti amore vel odio, *dicitis bonum malum, & malum bonum,* pe-

(a) Jac. 2. 1. & ſeg. (b) Matt. 12. 7.

ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem, (*a*) mortificantes animas, quæ non vivunt. Vos enim non attenditis merita cauſarum, ſed merita perſonarum: non vitam, ſed munera: non juſtitiam, ſed pecuniam: non quod ratio dictat; ſed quod voluntas affectat. Non quod lex ſentiat, ſed quod mens cupiat: non inclinatis animum ad juſtitiam, ſed juſtitiam inclinatis ad animum: non ut quod liceat, hoc libeat; Sed ut liceat hoc, quod libet. Nunquam in vobis ità *ſimplex eſt oculus, ut totum corpus ſit lucidum*; (*b*) Sed aliquid ſemper admiſcetis *fermenti, quo totam maſſam corrumpitis.* (*c*) Pauperum cauſas negligitis, divitum cauſam cum inſtantia promovetis; inillis rigorem oſtenditis, cum iſtis ex manſuetudine diſpenſatis. Illos cum difficultate reſpicitis, iſtos favore tractatis. Illos negligenter auditis, iſtos ſubtiliter auſcultatis. Clamat pauper & nullus exaudit: loquitur dives & omnes ap-

plau-

(a) *Iſa.* 5. 20. & *ſeq.* (b) *Matt.* 6. 22.
(c) *Galat.* 5. 9. & 1. *Cor.* 5. 6.

plaudunt. *Dives locutus eſt, & omnes tacuerunt; & verbum illius uſque ad nubes perducent: pauper locutus eſt, & dicunt: quis eſt hic? & ſi offenderit ſubvertent illum.* (*a*) Clamat vim patiens, & nullus exaudit, vociferatur, & non eſt qui judicet. Sed ſi fortè pauperum cauſam ſuſcipitis, illos remiſsè fovetis: cum autem divitum cauſam aſſumitis, illos pertinaciter adjuvatis; pauperes deſpicitis, divites honoratis: Iſtis reverenter aſſurgitis, illos diſpicabiliter conculcatis &c. De vobis enim, & contrà vos dicit Propheta: *Magnificati ſunt, & ditati ſunt, & incraſſati, & impinguati: cauſam pupilli, non dixerunt, & judicium pauperum non judicaverunt.* (*b*) Sed in lege præcipitur: *Nulla enim diſtantia perſonarum: ità parvum audietis, ut magnum. Non accipietis cujuſcumque perſonam: quia Dei judicium eſt;* (*c*) *non enim eſt perſonarum acceptio apud Deum.* (*d*) Hæc Innocen-

(a) *Eccleſ.* 13. 28; (b) *Hierem.* 5. 28. (c) *Deutor.* 1. (d) *Act.* 10. 34. *S. Innocentius. de contempt. Mundi lib.* 2. *cap.* 4. *per tot.*

centius. *Juſtum ergo Judicium judicate in portis veſtris*; (*a*) *Nam Deus ſtetit in Sinagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat*: (*b*) ergo *Timete Deum, & date illi honorem, quia venit hora judicii ejus*. (*c*) Vos autem *ſicut homines moriemini, & ſicut unus de principibus cadetis*. (*d*)

Idem Sanctus Pontifex virtutis amore compulſus, ſicut præcipit Auguſtinus: dilige, & dic quicquid velis, (*e*) ſequitur contrà eoſdem in charitate loquens, non odio non livore, aut vindicta, ſed ut perfectè Eleemoſinam compleat ſpiritualem in illos, dicens (ſequenti capitulo quinto de venditione Juſtitiæ) Vos autem, non gratiam gratis datis, nec juſtitiam juſtè redditis: quia niſi venit, non provenit; nec datur niſi vendatur. Sæpe juſtitiam tantùm differtis, quod litigantibus plùs-quam totum aufertis: quia major eſt ſumptus expenſæ, quam fructus ſententiæ.

(a) *Zaccar*. 8. 16. (b) *Pſ*. 81. 1. (c) *Apoc*. 14. 7. (d) *Pſalm*. 81. 7. (e) *S. Auguſt. de laude charitat.*

Digitized by Google

tiæ. (*a*) Quid autem poteritis illi in diſtricto judicio reſpondere, qui præcipit: *Gratis accepiſtis, gratis date*: (*b*) Lucrum in arca, damnum in conſcientia, pecuniam captatis, ſed animam captivatis. (*c*) *Propter hoc lacerata eſt lex, & non pervenit uſq; ad finem judicium, quia impius prævalet adverſùs juſtum.* (d) Verùm *quid proſicit homini ſi mundum lucretur univerſum animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?* (e) *Frater, ſcilicet CHRISTUS, non redimet, redimet homo? Non dabit Deo placationem ſuam: nec pretium redemptionis animæ ſuæ: Laborabit in æternum, & vivet adhuc in finem.* (*f*) Illi dant præcium redemptionis animæ ſuæ, inquit Auguſtinus, qui non ceſſant Eleemoſynas facere &c. (*g*) quem proſequitur Ludolphus dicens. *Et pretium redemptionis amimæ ſuæ*, ideſt

Elee-

(a) major ſumptus, quam fructus in litigiis invenitur. (b) *Matt.* 10. 8. (c) *S. Innocent. loc. cit. cap.* 5. (d) *Abac.* 1. 4. (e) *Matt.* 16. 26. (f) *Pſalm.* 487. & 8. (g) *S. Auguſt. enarrat. in Pſ.* 48. *part.* 1. *to.* 8.

Digitized by Google

Eleemoſynas per quas peccata redimuntur & delentur, ſimiliter dare non poterit, ut eis animam ſuam redimat, ideo dicit, *non dabit Deo placationem ſuam*: Hac de re, & hic talis, *laborabit in æternum*, ideſt affligetur in perpetuis tormentis, qui ad tempus delectatus eſt in divitiis, deliciis, & dignitatibus, *& vivet adhuc, in finem*, & ſemper reparabitur, ut ſemper ſentiat pænam. Deſiderabit mori, ſed nonpoteſt; ad hoc tamen vivet, ut ſemper laboret. Ecce vita laborioſa ſinè terminatione. Væ tibi mala cupiditas, quàm malè tuos decipis amatores. (*a*) *Novate igitur vobis novale, & nolite ſerere ſuper ſpinas*. (*b*) *Induite novum hominem, utvetus homo crucifigatur*; (*c*) nam ſi *frater*, ideſt CHRISTUS homo frater & Dominus noſter non redimet, forsàn redimet purus homo? haud certè; & ideo *induite novum hominem*: *Uſquequo judicatis iniquitatem, & facies peccantium ſumitis? Judicate*

ege-

(a) *Iud. Chartuſ. ſuperPſal.48.verſ.7.& 8.*
(b) *Ierem.4.3.* (b) *Coloſſenſ.3.9.*

egeno & pupillo, humilem & pauperem juſtificate: Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate. (*a*)

Tu qui hic, has veritates legis, ex gratia Dei eſt ut legas, Dei enim donum eſt ut per manus, & præ oculis habeas: da gratias, & roga clementiſſimum Dominum miſericordiarum Patrem, ut tacto corde tuo, inter tot Idolatrantes cupiditates & deſideria tua, ſis de *paucis qui intrant per arctam viam, quæ ducit ad vitam.* (*b*) Sis ille *ſolus Tobias, qui adorabat Dominum Deum ſuum,* (*c*) etſi omnes ibant ad vitulos; Sis ſolus, ſicut ille Joannes Poteſtas, Dei miſericordia permittente, qui cognovit in ſuo officio difficultatem magnam introeundi in Cœlum, & totus mutatus ab illo, ſanctimoniam ſecutus eſt, ſicut legimus in Chronicis S. Franciſci, nec incongruum, vel ſuperfluum credimus recitare: ibi Hæc verba leguntur: Joannes Parenti, qui primus fuit miniſter generalis, poſt ſtig-

(a) *Pſal.* 81. 2. & *ſeqq.* (b) *Matt.* 7. 14.
(c) *Tob.* 1. 5.

ſtigmatizatum Franciſcum. Hic Joannes, cum prius in ſæculo V. J. D. ac Judex eſſet in oppido dictus Civitacaſtellana, aſpiciens per feneſtram domus ſuæ, obſervavit quemdam Bubulcum nimis laborantem; ut porci, quos ille cuſtodiebat, intrarent in porcile, ſed fruſtrà, non enim poterat reducere; attamen audivit à conſocio (ſic permittente & ordinante Deo, ex miſericordia) *Dic ut intrent ut procuratores, & Judices in Infernum*, quo dicto, ſtatim coacervatim intrarunt. Hoc audito Joannes ille, ſtatim corde tactus, ad fratres minores B. Franciſci ſe contulit; ibiq;, vili habito ſæculo, uſq; ad mortem perſtitit vitæ Sanctimonia laudatus. (*a*)

Etiam Juvo pauperum advocatus dictus, ideſt Eleemoſynarius; factus Judex, modico tempore exercuit, & ſtatim reſignavit officii dignitatem Judicis, cognoſcens illum tumultuoſum, contrariumq; paci & quieti Chriſtianæ, quam ſectare cupiebat

(a) *Chronic. S. Franc. part.1. lib.10. cap.25.*

Digitized by Google

bat. (*a*) Sic de S. Joanne à Capiſtrano aliiſque non paucis qui intellexerunt Verbum Dei proclamans: *Dominatores ejus iniquè agunt, dicit Dominus, & jugiter tota die nomen meum blaſphematur*. (*b*) Nonne hoc veritas eſt? Nonne experientia quotidiana hanc veritatem nobis demonſtrat, quod blasphematur tota die nomen Dei, ab illis, qui injuſtitias recipiunt: Cauſa, quia iniquè agunt qui dominantur. Verè igitur: *Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit: & in cathedra peſtilentiæ non ſedit &c.* (*c*) Quæ ideo (declarat Auguſtinus) cathedra peſtilentiæ rectè intelligitur, quia non ferè quiſquam eſt, qui careat amore dominandi, & humanam non appetat gloriam. Peſtilentia eſt enim morbus latè pervagatus; & omnes, aut penè omnes involuens. (*d*) *Qui verò in lege Domini eſt voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur*

die

(a) *Segala tom.2. Arc. S.part.1. in vita S.Juvonis pag.* 304. (b) *Iſa: 52.5.* (c) *Pſ.1.1.* (d) *S.Aug. enarrat. in Pſ. 1. inprinc. tom.8.*

Digitized by Google

die ac nocte, (*a*) ſcilicet in lectione & exercitio Sacrarum Scripturarum, liber eſt ab hac peſtilentia.

Sed non deficiunt exceptiones, excuſationes, & rationes hominibus in humanis ſcientiis verſatis, in doctrina hominum, ſed non ſpiritus. Has exceptiones & excuſationes ab illis extrahit interrogatione ſua præcedenti, Thomas à Villanova Heroicus Eleemoſynarius, CRUMENA PAUPERUM dictus: dicit enim: Tu quis es? Reſpondebis: (*a*) Ego ſum Judex, Decurio, Præfectus, Magiſtratus, Conſiliarius &c. Et numquid ſervas regulam rectam? Non poſſum omninò, ſed neceſſe eſt aliquando, aliquantulum flectere precibus, & rogatibus aliquorum Procerum, & præcipuè eorum, qui apud Regem gratia & favore præſtant. Intercedit amicus, cui ſi nego, cum vituperio reiiciam ab officio. Numquid accipis aliqua munera? Sic aliquando; nam non poſſum ſuſtentare domum meam,

(a) *Pſ. cit.* (b) Potentiſſima virtus aſſiduæ lectionis Sacræ Scripturæ

meam, ſalarium eſt ſic modicum, ſumptus immodicus: non equidem agros fodere aut arare queo; ex meo officio alendus ſum. Contrà quos Sanctus Præſul ſic reſpondet: Et utinam agros arares, vel foderes: melius enim fuiſſet eſſe arator, quam judex; (*a*) quaſi dixiſſet faciliùs, & poſſibiliùs eſſet tibi intrare in Regnum Dei cum eſſes Bubulcus, quam Judex!. Quapropter ſcriptum eſt: *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita* (*b*) Dan, idem eſt ac Judex, & textus declarat, *Dan judicabit populum ſuum*: Et Angelicus demonſtrat dicens: Alludens more Prophetico ad ejus nomen, quod interpretatur judicium: dicit quod habebit authoritatem judiciariam. (*c*) Hac de re, inquit Marlianus: Judex qui quaſi coluber tortuoſus eſt, pro libito leges intorquens, & quaſi ceraſtes inſidias parans, juſtitiæ rectitudinem non obſervat. Talis equidem inter ele-

(a) *S. Th. à Villanova in Dominic. 3. adventus.* (b) *Geneſ. 49. 16.* (c) *S. Thom. ſuper Geneſ. Cap. 49. circ. med. in apoſtilla ſive aurea expoſitione.*

electorũ numerum ſupputandus non eſt, & in potentias Domini non introibit. (*a*)Sed hic locus non eſt hujus locutionis, fusè tractavimus in noſtro opuſculo de Judicis Electione à Principe facienda.

Frater dilectiſſime in Chriſto JESU' de æterna vita res eſt, aut de æterna morte: Deus noſter, Deus Pacis, & Deus Miſericordiarum eſt. Ipſe enim dicit *Propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius*; (*b*) ſi audieritis Spiritusſancti tubam Paulum clamantem: *Nolite conformari huic ſæculo, ſed reformamini in novitate ſenſus veſtri.* (c) *Si fuerint peccata veſtra ſicut coccinũ, & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, quaſi nix dealbabuntur*; (*d*) Sed quomodo, & qua operatione hominis? Ipſe Dominus dicit: *Et virum non contriſtaverit, pignus non retinuerit, & rapinam nõ rapuerit: panem ſuum eſurienti dederit, & nudum operuerit veſtimento; A pauperis injuria averterit*

 ma-

(a) *Marlianus in Theatr. Politico Cap. 9.*
(b) *Jerem.* 31.34. (c) *Rom.* 1.2 (d) *Iſa.* 1.18.

manum ſuam &c. Si enim impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judiciũ, & juſtitiam: vita vivet, & non morietur: Omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor: in juſtitia ſua, quam operatus eſt, vivet, (a) ſcilicet in æternum: in Juſtitia, ideſt ELEEMOSYNA, quæ juſtitia vocatur, quæ juſtificat hominem. O benignus Dominus, ò miſericors Deus, qui rebelles tuos ſola humiliatione, & pœnitentia cum vitæ mutatione recipis.

O benedictus talis Deus: *Omnia oſſa mea dicent: Domine quis ſimilis tibi?* (b) Oblitus jam omnium ſcelerum eorum, ſi rebelles lumini iterum nõ exiſtant. *Lavamini* ergo dicit Dominus iſte, *mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis quieſcite agere perversè; diſcite benefacere, quærite judicium, ſubvenite oppreſſo, judicate pupillo, defendite viduam. Et venite, & arguite me, dicit*

Do-

(a) *Ezech.* 18. 16. & 21. (b) *Pſal.* 34. 11.

Dominus, ſi fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur, & ſi fuerint rubra, quaſi vermiculus, velut lana alba erunt, & concludit, *ſi voluerit is, & audieritis me, bona terræ commedetis* (*a*) ſcilicet terræ promiſſionis, ideſt Cæleſtis Patriæ: *Qui legit intelligat: & qui habet aures audiendi audiat.* (*b*)

PRædicant Apoſtoli, ſed quis audit? *Bella & lites ex concupiſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris*, (*c*) & ideo juſtè, vel injuſte in judicio contenditur, & coràm Judice in Curiis litigatur. Et ſi actor juſtè petit, temporalium bonorum concupiſcentia eſt: Et ſi reus injuſtè conventus, juſte ſe defendat litigando, etiam in concupiſcentia eſt; ſcilicet retinendo quæ poſſidet non ſua, ſed Dei, & ſibi ſuperflua. Deus enim dicit: *Mea ſunt omnia*. (*d*) Verùm in hoc caſu, ſe defendere ab injuſtis petitionibus, vel agere juſtè ad ha-

(a) *Iſa*: 1. 16. & *ſeq.* (b) *Jo*: 14. 35. & *Matt.* 13. 14. & *Matt.* 13. 9. & *cap.* 24. 15.
(c) *Jac.* 4. 1. (d) *Exod.* 13. 3.

habendum quod de jure debetur, malum non dicimus; ſed tantùm ad perfectionem loquimur, eo modo quo inſpiraverit Spirituſanctus legẽtibus. Et ſicut urget Apoſtolus: *Non in contentione, & emulatione; ſed induimini Dominum JESVM Chriſtum: & carnis curam ne feceritis in deſideriis.* (*a*) Scilicet pro nihilo habendo bona temporalia; ſed defendere ſe, eo modo, quo docet Angelicus, ſcilicet, moderatè reprimere, non in odium vel iram increſcendo contrà contumeliam ab homine malo ſibi factam: Convicìantem, aut contumelioſum, debet quis moderatè reprimere, ſcilicet propter officium charitatis, non propter cupiditatem honoris. (*b*) Poſſumus etiam ad honores addere cupiditatem temporaliũ bonorum, pro quibus in curiis agitur vel juſtè retinendo, ſuperflua, aut juſtè petendo; aut injuſtè retinendo, aut injuſtè petendo. E contrà verò, Scriptum eſt: *Ne reſpondeas ſtulto juxtà ſtultitiam ſuam; ne ſimilis ei effi-*

cia-

(a) *Rom.* 13.14. (b) *S. Tho.* 2.2.qu.72. *art.*3.

ciaris: (*a*) Sed & ſi vindicare vis, ſile (inquit idem Angelicus ex Chryſoſtomo) & funeſtam ei dediſti plagam; (*b*) nam remittendo Deo injurias, Deus faciet vindictam. *Itaque & hi, qui patiuntur ſecundum voluntatem Dei: fideli Creatori commendent animas ſuas in benefactis.* (*c*) In benefactis dicit, ſcilicèt patienter tolerando, & Eleemoſynas faciendo, quæ benefacta dicuntur. Et ſi reſpondes: *non juxtà ſtultitiam ſuam* dicit textus, ſcilicet, non agendo injuſtè ſicut ille, modis injuſtis, indiſcretis, obliquis, artibus, & induſtriis; *ſicut ſtulti, & perverſi homines qui ſuſcitant lites*: (*d*) Sed moderatè reprimere, quantùm potes cum hac moderatione, vel ſuaviter coràm Judice defendendo, vel extrajudicialiter, diverſis induſtriis, & humilitatibus agere, ut perſuadeatur injuſtus actor de injuſta ſua petitione; & ſi hæc omnia non proficiunt; ſinè ulla triſtitia, veniat

 ad

( ) *Pro.* 26.4. (b) *D. Tho.* 2.2. *qu*: 72. *ad* 3.
(c) 1. *Petr.* 4.19.
(d) *Pro.* 16.28.

ad tranſactionem,(*a*)bonis amicis interjectis,ſolvendo portionem aliquã injuſtæ petitionis, quaſi ad emẽdam, tam vili pretio, ſcilicet pecunia, pacem corporis & animi, pacem illam quam reliquit CHRISTUS dicens: *Pacem meam relinquo vobis,pacem meã dò vobis.*(*b*)O' quàm,pretium nullum habet hæc pax,nullo pretio emi poteſt; quid ergo erit aliquid dare pro illa,ut non litiges? Ut non inquietes te,& domũ tuam, & alias res tuas nõ confundas litigando? Tot cauſas & occaſiones peccandi removendo;Nã ſecundum Scripturas: *Si non dederitis in ore eorum quippiam ſanctificant contrà vos prælium,* (*c*) ſcilicet cum pallio Juſtitiæ vexabunt litigando.

Nec experto reſpondeas: & ſi non vult acquieſcere tranſactioni?(*d*)Qui injuſtè petit, & rapinam cum pallio Juſtitiæ abſcondere, ſemper acquieſcit,

(a) Tranſactio inſinuatur,ne litigium cum proximo proſequatur (b) *Jo:* 14.7. (c) *Miche.*3.5.(d)Citò ad tranſactionem deveniat conventus in foro,etiamſi injuſtè patiatur quod dat, ut in pace vivat, ſcilicet in gratia Dei & hominum.

ſcit, ſi recipit aliquid de prætenſa rapina, illicò acquieſcit; & tu frater, injuſtè vexatus, magnum lucrum facis, quid? PACEM, & animi quietem, quæ nullo pretio in hac vita comparari poteſt, pacatè vivere abſque animi inquietudine; hęc eſt enim temporalis hominis felicitas, etſi non deſint ærumnæ, dolores, & paſſiones, quæ neceſſariò vitam hanc comitantur, ſi propter Deum ſuffers, ſemper hilaris eris & lætus, in Divina permittente voluntate conformatus; ſed ſi potes, quò ad te, in ea quæ mundi ſunt ſtudere omni intereſſe poſtpoſito, ut pacem habeas, *non litigando cum homine potente: non contendendo cum viro locuplete, nè fortè contrà te conſtituat litem tibi;* (*a*) ne pacem tuam perdas; valdè utile eſt, & lucroſum corpori & animæ. (*b*) Ineſtima-

(a) *Eccl.* 8.1. (b) Nullo pretio, animi quies comparari poteſt; contrà illam, nec labores, nec ærumnæ prævalent. Sed ſemper hilaris permanet homo, qui in gratia Dei eſt; hanc gratiam per Chriſtũ habemus, *ſanãs omnem languorem, & infirmitatem in populo: Matt.* 4.23.

ſtimabile bonum eſt, animi quies in homine, etſi poſito in quibuſcumque laboribus hujus miſerabilis vitę, omnia ad nihilum reducuntur, & hilari animo tolerantur: Sicut ſi paupertas urget animi quies gaudet de ſua paupertate, & paululum panis ſufficit, & acquieſcit gaudendo, pſallendo, & paupertatem non ſentiendo, ut in multis conſpicitur: *Melius eſt buccella ſicca cum gaudio*, inquit Sapiens, *quam domus plena victimis cum jurgio.* (a) Sic etiam de infirmitatibus corporis, aliiſque laboribus, & ærumnis; ſi animi quies eſt, & pax, eo modo, ſi in laboribus non eſſet homo, ità agit, quia pacem habet, & hilaritatem animi; hoc enim efficitur ex gratia Dei quam habet, non in peccatis involutus, à quibus omnia mala, animique inquietitudines perveniūt ſecundùm Scripturas: *Non eſt pax impiis. Impii autem quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt.* (b)

Sed dices quomodo tantam injuriam feram pacatè, & cum pace, ſi in-

(a) *Pro:17.1.* (b) *Iſa:57.20.*

injuſtè, & falsè petit malus homo, quæ pænitus à me illi non debentur, & vi opprimendo, calumniando, & injuſtè litigando rapere vult: quomodo tantam violentiam in foro compulſus ſuſtineam, & dare illi, ſi non totum, ſaltem partem rapinæ? Ad hoc reſpondet Apoſtolus dicens: *Spectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus: maledicimur, & benedicimus: perſecutionem patimur, & ſuſtinemus: blaſphemamur, & obſecramus; tamquam purgamenta hujus mundi facti ſumus.* (*a*) Vide ò Chriſtiane frater, ſi tu forſan eſſes unus ex his talibus hominibus, & ſi in te eſſet una talis & tanta perfectio, dederis in ſtuporem attonitos Angelos, mundum, & homines, ſicut inquit Apoſtolus: perſecutionem patiendo, & ſuſtinendo: *Blaſphematus obſecrabis,*(*b*)ſcilicet orabis Deum pro blaſphemantibus: ſimilis eris filio hominis Deo CHRISTO JESU, qui in Cruce pendens blaſphematus, & perſe-

(a) 1. *Cor.* 4. 10. & *ſeqq.* (b) *Luc.* 6. 28. & *Rom.* 12. 14. & 1. *Petr.* 3. 9.

ſecutus, innocens uſque ad mortem datus, orabat Patrem prò perſequentibus, blasphemantibus, & mortificantibus, dicens: *Pater ignoſce illis, non enim ſciunt quid faciunt:* (a) *Qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur; tradebat autem judicanti ſe injuſtè.* (b) Ergo Chri-ſtianus cum ſis, tantam perfectionem, non vis habere in ſimilitudinem filii Dei? *Quos præſcivit, & prædeſtinavit, conformes fieri imaginis filii ſui, &c.* (c) *An ignoratis fratres, quia quicumque baptizati ſumus in CHRISTO JESV, in morte ipſius baptizati ſumus? Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem; ut quomodo CHRISTVS ſurrexit à mortuis per gloriam Patris: ità & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus: ſimul & reſurrectioni erimus:* (d) reſurrectioni, ſcilicet ad vitam æternam, & gloriam Beati Dei: Sed *non coronabitur* in hac gloria,

(a) *Luc.* 23. 34. (b) 1. *Petr.* 2. 23. (c) *Rom.* 8. 29. (d) *Rom.* 6. 2. & *ſeq.*

Digitized by Google

ria, *niſi qui legitimè certaverit* (a) contrà diabolum, contrà mundum, & contrà carnem.

At nos tenelli & delicatuli, certè tales ſumus, nos mollicelli, hoc unū agimus cum noſtra carnis concupiſcentia, ut ſuaviter pereamus. Id omne ſtudioſiſſimè amolimur, quod carni non blanditur. Ecquid parcimus huic aſino? Ecquid hanc vermium prædam, tam blandis obſequiis in noſtram perniciem demulcemus? An ignoramus nullam peſtem efficaciorem eſſe ad nocendum, quàm hoſtē domeſticum? Carnem capitaliſſimū nobis hoſtem imminere, quavis non dicam die experiri licet, ſed hora, ſi libeat explorare (b) Quocumque pergimus, inquit Hieronymus, nobiſcū inimicum portamus. (c) *Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus adverſus carnem: Hæc enim ſibi invicem adverſantur.* (d) Perpetua hic rixa & lucta eſt; *Non coronabitur, niſi*

(a) 2. *Tim.* 2. 4. (b) *Boetius lib.* 3. *de conſ. Philoſ.* (c) S. *Hieron. in Epiſt.* (d) *Gal.* 5. 17.

qui legitimè certaverit; (*a*) ſed quo crebior carnis eſt victoria, hoc majores illius ſunt vires contrà nos, ut coronam Beatitudis amittamus. At ibi ſemper vincit, ubi numquam creditur eſſe hoſtis. Scire nobis neceſſe eſt id quod dicit Gregorius: Nos geſtamus laqueum noſtrum nobiſcum, circumferimus inimicum noſtrum carnem noſtram; loquor de peccato natam, in peccato nutritam, corruptam nimis ipſa origine; ſed multo ampliùs prava conſuetudine vitiatã. Hinc eſt quod tam acriter adverſus ſpiritum concupiſcit, quod aſſiduè murmurat, & impatiens eſt diſciplinæ; quod illicitè ſuggerit; quod nec rationi obtemperat, nec ullo timore inhibetur. (*b*) Magna cura penſare debemus, utrum noſter ſpiritus impetu carnis ducatur: tranſitoria, æternis præponere: iſta mundana ad voluptatem, non ad neceſſitatem quærere. Sed ah vani, ah miſeri! Quantùm mortalia pectora cęcæ noctis habent! Quid delicias, & volupta-

(*a*) 2. *Tim.* 2. 4. (b) *S. Gre: in mor.*

ptates quærimus, nec ſuo tempore, nec loco ſuo. In alium & meliorem Orbem migrandum eſt deliciarum avido. In Orbe hoc noſtro appetentia voluptatis, plena eſt anxietatis; ſatietas verò pleniſſima pœnitentiæ. Triſtes eſſe voluptatum exitus, quisquis reminiſci voluptatum, & cõcupiſcentiarum ſuarum volet, intelliget: hinc morbi & dolores, quaſi quidam nequitiæ fructus referuntur. Ità demùm voluptas omnis in tormentum vertitur. In hoc verò ſolùm ingenioſa eſt caro, ut *onus*, & *virgam*, & *opus* à ſe removeat, & quiete fruatur delicata & voluptabili: ergo ex æquo & juſto, *onus*, & *virga*, & *opus*, huic pecudi convenit, aut illam profectò habebimus refractariam. (*a*)

Tibi dicit CHRISTUS, & omnibus qui Chriſtiani à CHRISTO vocantur: *Eſtote perfecti*, nota quomodo imperativo modo loquitur, sed quo modo? *Sicut Pater veſter Cæleſtis per-*

(a) *Hierem. Drexel. in ſuo Niceta lib. 2. Cap. 4.*

Digitized by Google

perfectus eſt, (a) & iterum, nota attentè, moroſè pertracta, quid alibi dicat: *Si vis perfectus eſſe* (b) Nam ſi dicit: *eſtote*, *&* *ſi vis*, in noſtra poteſtate, & voluntate eſt: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, (c) voluntarium præcipitur, non coactum, etiam facile, quia in ſola voluntate eſt: Gratia enim Dei adjuvando, & operando in nobis, ſemper intelligitur, ſecundùm Scripturas: *Convertentur ſedentes in umbra ejus*, (d) quæ ſemper adeſt, niſi recuſantibus & expellentibus eam, adherendo carni, mundo, & diabolo. Videte fratres, quàm bonum eſt inenarrabile, Domino Deo ſervire, & non mammonæ; præceptis Patris tam magni amoris & benignitatis parere, quàm præceptis mundi, & concupiſcentiæ carnis; illa ad vitam perducunt, iſta ad mortem: *Hæc dicit Dominus*: *Ecce ego do coram vobis viam vitæ & viam mortis*. (e) *Appoſuit Deus antè oculos ve-*

(a) *Matt*. 5. 48 (b) *Matt*. 19. 21. (c) *Matt*. 19. 18. (d) *Oſe*: 14. 8. (e) *Jerem*. 21. 8. *&* *Deutor*. 30. 19.

veſtros aquam & ignem, vitam & mortem, benedictionem, & maledictionem, ad quod voluerint declinent. (*a*) diligite ergo vitam & nō mortem, aquam gaudii, & non ignem meroris, benedictionem Dei, & non maledictionem; benedictionem & maledictionem quas ipſe teſtatur: *Venite benedicti Patris mei, &c. & ite maledicti in ignem æternum, &c.* (*b*) ergo *odite malum, & diligite bonum,* (*c*) malum & bonum hoc, à re temporali erit tibi, ſi concupiſces, vel non concupiſces eam, ſicut in Evangelio legitur. (*d*)

Omnes cruces quas involuntariè patimur, à manu Dei ſunt, pro bono, & utilitate noſtra, quam caro non cognoſcit inclinando ad ſua deſideria; ſed ratio, ſcilicet anima, dominari debet tamquam Domina, & caro ut ſerva parere juſſis. A' manu Dei omnia eveniunt nobis, bona & mala, ſecundùm Scripturas: *Bona, & mala à Deo ſunt.* (*e*) Nihil enim res

crea-

(a) *Ecc.* 15.14. (b) *Matt.* 25.34. *& ſeq.*
(c) *Amos* 5.15. (d) *Matt.* 25.34. *& ſeq.*
(e) *Ecc.* 11.14.

createę facere poſſunt, niſi adjuvante, & cooperante Creatore. (a) *Non eſt enim poteſtas, niſi a Deo,* (b) qui diſponit & permittit, ut ipſo operante, ſcilicet permittente, mali homines injuſtitias, calumniaſque contrà nos, ut inſtrumenta Dei perpetrent; quia inquit Dominus per Prophetam ſuum: *Non eſt malum in Civitate quod non fecerit Dominus* (c) ideſt permiſerit: Ergo ſi voluntas Dei eſt, ut injuſtitia & g avamina ſuſtineamus, nos ingrati filii inobedientes, ſervi diſculi & rebelles Domino Deo noſtro erimus? Haud fratres; ſed dicere cum fratre ac Domino noſtro CHRISTO: *Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam?* (d) Bibam certę quia voluntas Dei eſt ut bibam amarum Calicem tribulationum, perſecutionum, afflictionum &c.

Patientia, & humilitas, baſes ſunt Christianæ perfectionis, & virtutes à CHRISTO ad exemplum noſtrum

(a) *Robert. Bellarm. de Sept. verb. lib. 2. Cap. 1.*
(b) *Rom. 13. 1.* (c) *Amoſ. 3. 5.*
(d) Jo: 8. 11.

ſtrum electæ in ſua paſſione pro redemptione noſtra: Ipſe enim dicit: *Qui non bajulat crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.*(*a*) Sequamur ergo cum humilitate & patientia cum quibus ipſe in ſua paſſione pro nobis mortem, pacificè & quietè amplexatus eſt ſinè ullo clamore: *Exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens &c. humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis.* (*b*) Sed qua ratione, qua intentione, qua de cauſa? Amor fuit cauſa compellens eum: Dilectio erga homines ad æternam eorum ſalutem: *In hoc cognoſcimus charitatem Dei: quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit,*(*c*)& ideo præcipit ut nos dilectionem ad invicem habeamus, dicens; *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem.* Sed quomodo? Sequitur: *Sicut dilexi vos,* (*d*) Primum & maximum præceptum in lege, poſt Dei dilectionem, illique ſimile eſt, *diligere proximum noſtrum*

ſicut

(a)*Matt.*10 38.(b)*Phil.*2.7.
(c)1.Jo:3.16.(d)Jo:15.13.

Digitized by Google

ſicut nos ipſos.(*a*) Quomodo ergo litigantes, hoc præceptum legis veteris & novę implent? (*b*) Si gens contrà gentem ſurgit; *& frater cũ fratre judicio contendit? Jam quidem omninò delictum eſt in vobis, quod judicia habetis inter vos,*(*c*) ut quiſque repetat quæ ſua ſunt: contrà quos dicit Dominus: *Qui aufert, quæ tua ſunt, ne repetas.*(*d*) *Cum enim ſit inter vos zelus, & contentio, nonne carnales eſtis & ſecundum homines ambulatis?* (*e*) Quomodo carnales homines appetentes carnalia, videbunt Deum ſicuti eſt in gloria Patris? Quomodo legem implebunt, *quæ per proximi dilectionem tota impletur?*(*f*) Quomodo huic maximo præcepto non parendo, pacem Dei poſſidebimus in vitam ęternam? O Æternitas Æternitas! quàm parum cognita ab hominibus, ore tantùm confitentibus eam. Videte fratres, quoniam omnem virtutem ſi ha-

(a) *Matt.*22.39.(b) Attentè contempla, & SpiritusSanctu illuminet corda legentiũ. (c) 1.*Corint.*6.6.& 9. (d) *Luc.*6.31. (e) 1.*Cor.*3.13.(f) *Rom.*13.8.

habetis, ad nihilum valent omnia, ſinè dilectione, & proximi Charitate; teſtante Paulo: *Si tradidero corpus meum itaut ardeam, Charitatem non habuero, nihil mihi prodeſt.*(a)

Alii quippè, inquit Gregorius (*b*) prava de Deo ſentiunt, alii recta de authore tenent, ſed unitatem cum fratribus non tenent. Illi errore fidei, iſti verò ſchiſmatis perpetratione diviſi ſunt. Undè & in ipſa prima parte decalogi utrarumque partium culpæ reprimuntur, cum Divina voce dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota virtute tua.* Atque mox ſubditur: *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum* (c) Qui enim de Deo perverſa ſentit, liquet profectò quia Deum non diligit. Qui verò de Deo recta ſentiens, à Sanctæ Eccleſiæ unitate diviſus eſt; conſtat quia proximum non amat, quem habere ſocium recuſat. Sanctæ Eccleſiæ unio, eſt totus populus Chriſtianus, omnes fra-

(a) 1.*Cor.*13 *per tot.* (b) Aurea ſententia S. Gregorii. (c) *Matt.*22.39.

fratres, omnes proximi. Quis quis ergo ab hac vnitate matris Eccleſiæ, ſive per hæreſim de Deo perverſa ſentiendo, ſive errore ſchiſmatis proximum non diligendo dividitur, charitatis hujus gratia privatur. Sicut in probatica Piſcina. *Angelus Domini deſcendebat movens aquas, & è multitudine magna languentium unus tantùm ſanabatur, qui primus deſcendiſſet in Piſcinam poſt motionem aquæ*: (*a*) Ibi ſanabatur unus, inquit Auguſtinus, ſignificans Eceleſiæ unitatem: Poſteà quisquis venerit, non ſanabatur: quia quiſquis præter unitatem fuerit, ſanari non poterit. Væ illis qui oderunt unitatem, & partes ſibi faciunt in hominibus, (*b*) extrà Dei Charitatem, nec Dei Charitatem, nec miſericordiam, nec pietatem & indulgentiam habebunt in illis; de qua, hoc quod præmiſimus, Paulus dicit: *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt*. (*c*) Ac ſi aperta voce

(a) Jo: 5. 1. & *ſeq.* (b) *S. Aug. Tract.* 17. *in* Jo: *tom.* 9. (c) 1. *Cor.* 13. *per tot.*

ce diceret: (*Auro locus eſt in quo conflatur*. (*a*) extrà locum ſuum mihi ignis adhibitus, tormento me cruciat, mundatione non purgat. Hunc omnes ſanctæ pacis amatores, ſummo ſtudio locum quærunt, hunc quærentes inveniunt, hunc invenientes tenent: ſcientes peccatorum remiſſio, vel ubi, vel quomodo, vel qualibus detur. Ubi quippe niſi in Eccleſiæ matris ſinu? Quando, niſi antè venturi exitus diem? *Quia ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis* (*b*) *Et querite Dominum, dum inveniri poteſt: invocate eum dum propè eſt* (*c*) Qualibus niſi converſis, qui ad parvulorum imitationem, magiſtra humilitate formantur? Quibus dicitur: *Sinite parvulos venire ad me, talium enim eſt Regnum Cælorum*: (*d*) *Et niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicuti parvuli, non intrabitis in Regnum Cælorum*. (*e*) *Confiteor tibi Pater, Domine Cæli & terræ, quod abſcondi-*

(a) Job.28.1. (b) 2.*Cor*.6.2. (c) *Iſa*.55.6.
(d) *Matt*.19.14. (e) *Matth*.18.3. *S.Greg.ſuper c*.28.*Job.lib*.18.*cap*.14.

diſti hæc à Sapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis: etiam Pater quoniam ſic fuit placitum ante te. (*a*) *qui das laſſo virtutem, & his qui non ſunt fortitudinem, & robur multiplicas.* (*b*) O benedictus talis Deus. *Omnia oſſa mea dicent: Domine quis ſimilis tibi?* (*c*) *Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis.* (*d*)

NEceſſaria enim nobis ſunt humilitas, patientia, perſeverantia, & obedientia. Et quidem humilitas, quæ propriè virtus CHRISTI dici poteſt, in toto vitæ ſuæ decurſu, re ipſa, & factis oſtendit, ſed præterea diſſertis verbis ejus virtutis ſe magiſtrum profeſſus eſt, cum ait: *Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde.* (*e*) Sed nunquam clariùs hanc virtutem, & ſimul etiam patientiam, quæ ſeparari ab humilitate non poteſt, nobis commendavit, quam cum ait: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* (*f*) His enim

(a) *Luc.* 10. 21. (b) *Iſa.* 40. 29. (c) *Pſ.* 34. 11. (d) *Pſ.* 46. 1. (e) *Matt.* 11. 29. (f) *Matt.* 27. 46.

Digitized by Google

enim verbis, inquit Bellarminus, CHRISTUS oſtendit, permittente Deo, omnem ſuam gloriam & excellentiam in conſpectu hominum obſcuratam: quod ipſum etiam tenebræ illę demonſtrabant. Non potuit autem Dominus ſinè eximia humilitate & patientia obſcurationem ejuſmodi tolerare. (*a*)

Gloria CHRISTI, de qua loquitur Joannes in principio Evangelii, cum ait: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis*: (*b*) Poſita erat in potentia, ſapientia, probitate, majeſtate regia, beatitudine animæ, & dignitate Divina, quam habuit, ut verus & naturalis filius Dei: Hæc omnia, paſſio obſcuravit, & hanc obſcurationem illa verba ſignificant: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Potentiam paſſio obſcuravit: quia Cruci affixus, nihil omninò poſſe videbatur; & ideo principes Sacerdotum, & milites, & ipſe etiam latro ex-

(a) *Bellarmin. de 7. verb. lib. 2. cap. 6.*
(b) *Io: 1. 14.*

exprobrabant illi impotentiam dicentes: : *Si tu es CHRISTUS deſtende de Cruce , &c. Alios ſalvos fecit , ſeipſum ſalvum facere non poteſt* . (*a*) Quanta patientia , quanta humilitas neceſſaria fuit,ut nihil ad iſta reſponderet is , qui verè erat omnipotens? Nos ſervi tam magni Domini patiētis pro nobis , nihil ſuſtinere patienter volumus;tempore quo ipſe ſuſtinuit , ut ejus exemplum ſequeremur in paſſionibus, præſſuris , calumniis, aliiſque tribulationibus hujus miſerabilis vitæ. Dedecus homini , qui à CHRISTO vocatur Chriſtianus , ſi tractus in forum , & coràm Judice conventus injuſtè , non conſiderat Dominum ſuum innocentem coràm Judicibus & poteſtatibus tractum, & injuſtè condemnatum , cum eſſet totaliter innocens . Quid mirum ipſo teſtante : *Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur:& ſi Dominus irriſerunt, ſervi irrideantur? Non eſt ſervus major Domino ſuo*.(*b*) Confortamini igitur: *Ego ſum* , dicit CHRISTUS , *nolite time-*

(a) *Matt*.27.40. (b) *Matt*.13.16.

Digitized by Google

timere (*a*): *Dicite puſillanimes: Confortamini, & nolite timere: Ecce Deus veſter ultionem adducet retributionis* (*b*). Ergo nolite timere, ſi *omnes videntes vos, deriſerunt vos, & locuti ſunt labiis, & moverunt caput.* (*c*)

Sapientiam paſſio obſcuravit, quãdo coràm Principibus Sacerdotum, coràm Herode, coràm Pilato, ad multas interrogationes, quaſi conſilii omnis expers, nihil reſpondebat: Ex quo factum eſt, ut eum Herodes indutum veſte alba, *ſpreverit, & exercitus ejus.* (*d*) Quanta humilitas, quanta patientia neceſſaria erat ad iſta toleranda, ei, qui non ſolùm Salomone ſapientior, ſed ipſa Dei ſapientia erat? & tu diſcipulus tam magni magiſtri, qui operibus te docuit non reſpondere injuſtitiis tibi factis, recuſas tanto Magiſtro eſſe diſcipulum & opere complere, quod opere te docuit. Ah, non frater, *ſimus imagines filii Dei.* (*e*)

Probitatem vitę paſſio obſcuravit, cum in medio latronum Cruci affi-

(a) *Luc.* 24. 37. (b) *Iſa.* 35. 4. (c) *Pſ.* 21. 7. (d) *Luc.* 23. 11. (e) *Rom.* 8. 24.

Digitized by Google

xus penderet, quaſi ſeductor populorum, & Regni alieni uſurpator eſſet. Atque hanc innocentiæ gloriam magis adhuc obſcurare videbatur illa derelictio Dei, quam ipſe fatebatur dicens: *Cur me dereliquiſti?* Deus enim non probos viros, ſed improbos derelinquere ſolet. Certè ſuperbi omnes valdè cavent, ne aliquid dicant, undè poſſint, qui audiunt, ſuſpicari indignitatem aliquam ſuam, eos ipſos confiteri. Sed humiles & patientes, quorum Rex Dominus & magiſter fuit, libenter occaſionem omnem arripiunt humilitatis, & patientiæ, modò nihil falſi dicant. Quanta igitur humilitas, quanta patientia neceſſaria fuit ad iſta toleranda illi, de quo Apoſtolus dicit: *Talis decebat, ut nobis eſſet Pontifex, Sanctus, innocens impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior Cælis factus.* (*a*) Facilè ſuſtinebit aliquis bonus, tali quali bonitate, præſſuras, pœnitentias, dolores, jejunia aliaque ſimilia; ſed contrà bonum nomen & veritatem probitatis

ejus,

(a) *Hebr. 7. 26.*

Digitized by Google

ejus ; magnum auxilium Dei opus eſt. (*a*)

Henricus Suſon, quanta patientia ſuſtinuit omnia uſque ad ſitim caninam damnatorum; ſed omnia, in magna veneratione, & perfectione vitæ habitus, gaudebat; ſed quando ut latro perſecutus, & ut veneficus inſidiatus ad mortem, exclamavit dicens Deo: *Et quid feci?* CHRISTUS autem in Cruce poſitus ei apparuit, dicens: *Et ego quid feci, quod homines ſic me poſuerunt?* conſolatuſque ab hac viſione remanſit. Ità & nos cum vexati fuerimus, & injuſtè tracti coràm Judicibus, & in litigium adducti, oppreſſi ab injuſtitiis; ſi clamamus dicentes: *Quid fecimus?* conſideremus CHRISTUM nobis præſentem in Cruce poſitum reſpondentem: *Et ego quid feci*, qui hoc modo in Cruce me poſuerunt? Nec ultrà, Cœlum, terramque miſcebimus querelis, & haud ſuſtinere non poſſe dicemus: *Sed comunicantes CHRISTI paſſionibus, gaudebimus*. (*b*)

 Por-

(a) Si multa patitur homo propter Deum: non facilè ea, quæ contrà bonum nomen ſunt, tolerat. (b) 1. *Petr*.4.13.

Digitized by Google

Porrò Regiam majeſtatem paſſio ſic obſcuravit, ut pro diademate aureo, ſpineam coronam; pro ſceptro, arundinem; pro tribunali patibulum; pro regio comitatu, duos illi latrones adjunxerit. Quanta igitur humilitas, quanta patientia neceſſaria fuit illi, qui verè erat *Rex Regum, & Dominus dominantium & Princeps regum terræ?* (*a*) & nos ſervi, & tam dilecti vaſſalli tam magni Regis, juſſis Regis, ut rebelles parere recuſabimus? Non fratres, acquieſcamus ſuſtinendo patienter omnia, quæ contrà nos, vel juſtè, vel injuſtè eveniunt, ut *in patientia noſtra poſſideamus animas noſtras. Novos verò Cœlos, & novam terram, ſecundum & promiſſa ipſius, expectamus, in quibus Juſtitia habitat: Propter quod chariſſimi hæc expectantes, ſatagite immaculati & inviolati ei inveniri in pace,* (*b*) & non in lite verſati.

Quid jam dicam de beatitudine animæ, quam verè CHRISTUS habuit ab ipſa ſua conceptione; Et quam potuiſſet, ſi voluiſſet, in corpus etiam tran-

(a) *Apoc.* 1. 5. (b) 2. *Petr.* 3. 13.

transfundere? Quàm vehementer gloriam iſtam paſſio obſcuravit, cum eum fecerit: *Virum dolorum & ſcientem infirmitatem, & deſpectum, & noviſſimum virorum*? (a) Cum ipſe clamet præ magnitudine paſſionis: *Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Denique celſiſſimā Divinæ perſonæ dignitatem paſſio ſic obſcuravit, ut qui ſupra omnes, non homines tantùm, ſed etiam Angelos ſedet, propter paſſionem dicat: *Ego autem ſum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis*: (b) Et nos Chriſtiani à CHRISTO redempti tot opprobriis & abjectionibus, quot ſuſtinuit in ſua paſſione pro nobis omnibus, nil aliud quærimus, ni tantùm, ut omnes nos juſtificent, honorent, exiſtiment, nec aliquid contrà nos moliantur omnes; (c) quomodo erimus veri Chriſtiani, CHRISTO aſſimilati, a quo genus noſtrum, & nomen habemus? Ah fratres ſimus veri, opere, & non tantùm nomine Chriſtiani. Certè ſi homi-

(a) *Iſa.* 53.3. (b) *Pſalm.* 21.6. (c) Proprius amor radix eſt omnium malorum.

nes attentè conſiderarent, quàm honorificum ſit humilitatem & patientiam filii Dei, hic in terris, imitari; ut urget Paulus rogando; nam quando Princeps, aut magnus homo rogat, præcipit: *Rogo ego vos imitatores mei eſtote, ſicut & ego CHRISTI*: (a) Et ſimul aliquo modo ſuſpicari poſſent, quanta ſit exultatio, ad quam ipſa humilitas & ipſa patientia perducūt: paucos omninò ſuperbos & impatientes inveniremus. Sed quia ſenſibus carnis & humana cogitatione, plerique omnia metiuntur; ideo mirum non eſt, ſi rara ſit humilitas in terris, rara patientia & ſuperborum infinitus ſit numerus. Hac de re, *pauci ſunt, qui intrant per arctam viam vitæ, & multi per latam portam perditionis.*(b)

O Domine amor meus, & Redemptor meus, adſcribe me in numero paucorum, qui per arctam viam paſſionum carnis intrant in vitam æternam: *Propitius eſto mihi peccatori*. Nolo Domine vivere ſine vulnere, dum

(a) 1.Cor.4.16. (b) *Matt.*7.13.

dum te video vulneratum: quia *Jugum tuum ſuave, & onus leve*. (*a*) Hæc verò ſuavitas, & levitas in virtute patientiæ, & conformationis voluntatis Dei nobis erit, Paulina voce teſtante: *Patientia enim vobis neceſſaria eſt, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promiſſionem*. (*b*) Promiſſionem illam, quam JESUS Chriſtus frater & Dominus noſter, ponens vitam ſuam, *exinanivit ſemetipſum, formam ſervi accipiens; & factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis*, (*c*) ut iſtos eosdem ſibi fratres & cohæredes efficeret, & in Regnis Cœleſtibus feliciſſimos collocaret: ſola cauſa: Amor & dilectio magna! O immenſa pietas, ò ineſtimabilis Charitas Patris, exclamabo cum Auguſtino, ut liberares ſervum, filium tradidiſti. Deus factus eſt homo, ut perditus homo de poteſtate dæmonum erueretur. Quàm benigniſſimus amator hominum eſt filius tuus Deus noſter, cujus piis viſceribus non ſatis viſum eſt, ut ſe in-

(a) *Mat.* 11.30. (b) *Hebr.* 10.36.
(c) *Philip.* 2.7.

inclinaret factus homo de Virgine MARIA: niſi etiam ſubiret Crucis ſupplicium, effuſo ſanguine propter noſtram ſalutem. Venit pius Deus, venit pro pietate & bonitate ſua, venit quærere & ſalvum facere quod perierat. Quæſivit ovem perditam, quæſivit & invenit, ac humeris ſuis reportavit ad caulas gregis. Pius Dominus & verè multum pius Paſtor bonus. O charitas ò pietas! Quis audivit talia? Quid ſuper tanta miſericordiæ viſcera, non obſtupeſcat? Quis non miretur, quis non colletetur propter nimiam Charitatem tuam, qua nos dilexiſti? Miſiſti filium tuum in ſimilitudinem carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum; ut nos efficeremur juſtitia tua in ipſo. Ipſe enim verus eſt agnus immaculatus, *qui tollit peccata mundi*: (a) Qui mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam, reſurgēdo reparavit: Sed quid tibi retribuere poſſumus Deus noſter pro tantis beneficiis miſericordiæ tuæ? Quas laudes, quaſve gratiarum actio-

(a) Jo: 1. 29.

actiones? Etiamſi illa Beatorum Angelorum ſcientia & potentia nobis foret; nil tamen dignum tantæ pietati, & bonitati tuæ recompenſare valeremus. (*a*) Et erit deinceps aliquis, qui hæc ſcit, hæc audit & credit, tam durus & tam efferatus, qui Chriſtum JESUM *toto corde, tota anima, & tota mente* non diligat, non ſolùm ex præcepto primo veteris & novæ legis; (*b*) verum etiam ex gratitudine ergà tantum amorem, & in ejus gratia, quęcumque aſpera & dura, non ſuſtineat? Avertat Deus cor tam lapideum ac ferreum; non à fratribus noſtris tantùm, verum etiam ab omnibus hominibus etſi infidelibus; ut nullus ſit in anathemate illo ab Apoſtolo proclamato: *Qui non amat Dominum noſtrum JESUM Chriſtum anathema ſit.* (*c*) Et verè dignus anathemate, qui in tanta ingratitudine, contrà tantam gratitudinem ſiſtit.

Sed quantum ad me, coram Domino confitebor, ego homuncius, non

(a) *S. Aug. meditation. c. 15. t. 9.* (b) *Matt. 22. 37. & Deut. 6. 5.* (c) *1. Cor. 16. 22.*

Auguſtinus: Scio Domine, ſcio & fateor omni veritate, quia non ſum dignus, quem tu diligas: ſed certè tu non es indignus quem ego diligam. Indignus quidem ſum tibi ſervire; ſed tu non es indignus ſervitio creaturæ tuæ. Da ergo mihi unde tu es dignus. Fac me quomodo vis à peccatis ceſſare. Quando finis turpitudinis meæ, quare non modò? Ut quomodo debeo, poſſim tibi ſervire. Concede mihi ſic cuſtodire, & regere, & finire vitam meam, ut in pace dormiam & in te requieſcam, non meritis meis vacuis ac nullis; ſed infinito amore tuo, & inenarrabili miſericordia tua. Præſta mihi in finem, ut me excipiat ſomnus cum requie, requies cum ſecuritate; ſecuritas in æternitate amen.

Ad propoſitum noſtrum redeamus: *CHRISTO igitur paſſo, in carne*, inquit Petrus, *& vos eadem cogitatione armamini, quia qui paſſus eſt in carne, deſiit à peccatis*. (*a*) Patientia, inquit Angelicus, neceſſaria eſt his quę contrà

(a) 1. Petr. 4. 1.

trà nos fiunt (ſicut injuſtè litigantes faciunt contrà reos innocentes conventos;his patientia eſt neceſſaria)ità etiam in his , quæ contrà nos dicuntur. Præcepta autem patientiæ in his quæ contrà ſunt , in præparatione animi habenda, ſicut Auguſtinus in libro de Sermone Domini in monte, exponit illud præceptum Domini: *Si quis percuſſerit te in unam maxillam, præbe ei & alteram,* (*a*) ut ſcilicet, homo ſit paratus hoc facere ſi opus fuerit, non autem ſemper tenetur facere actu (ſicut contrà injuſtè litigantes & in judicio & curiis vexantes, contumeliam, & vexationem injuſtis petitionibus nobis inferentes , debemus forsàn omninò ſilere , & non, reſpondere ad defenſam veritatis & innocentiæ ? Non tenemur ſemper hoc facere actu) quia nec ipſe Dominus hoc fecit: ſed cum ſuſcepiſſet Alapam dixit: *Cur me cædis.* (*b*) Et ideo etiam circà verba contumelioſa, quæ contrà nos dicuntur, eſt idem intelligendum (ſicut etiam de reſponſione

(a) *Mat.* 5.39. (b) *Jo*: 18. 24.

& defenſione contrà injuſtas petitiones adverſus nos in Judicio ab injuſtis litigantibus porrectas) tenemur enim habere animum paratum ad tolerandum ſi expediens fuerit &c.non tamen tacendo, ſed moderatè reprimendo; dicendum autem quod ſi aliquis hoc animo taceret , ut tacendo contumeliantem ad iracundiam provocaret,hoc pertineret ad vindictam: ſed ſi aliquis taceat, volens dare locum iræ, hoc eſt laudabile (*a*) ſicut ſcriptum eſt : *Non litiges cum homine linguato , & non ſtrues in ignem illius ligna:* (*e*) quò verò ad moderatè reprimere, ſcriptum eſt: *Reſponſio mollis frangit iram* , (*b*) & ideo ſemper placidè humiliterque reſpondendum , tàm in judicio, quàm extrà, ac omnia agere , omni proprio intereſſe poſtpoſito, ut acquieſcat adverſarius, qui injuſtè contrà veritatem adverſus nos agit, & hoc acquieſcere, & pecunia, & induſtria, & diligentia emere juvat, ut noſtram pacem conſequamur;

(1) *D.Tho.qu.72.art.3.* (b) *Eccl.8.4.*
(c) *Pro.15.1.*

Digitized by Google

mur ; nam ſi aufert illa quæ noſtra ſunt, Deus intuetur, & propter noſtram tolerantiam & humilitatem, potens eſt retribuere ablata, quæ neceſſaria ſunt, & vitæ, & ſtatui. Fide ſta in hoc, noli timere frater ; quia dicit Dominus: *Qui aufert quæ tua ſunt ne repetas*; (*a*) Quoniam ipſe retribuet. An paupertatem times ? Sed bonos, pauperes, CHRISTUS appellat. Labore terreris ? Nemo athleta ſinè ſudoribus coronatur. De cibo cogitas? Sed fides famem non timet. Deus ipſe omnium rector, ac Dominus cum omni Angelorum militia certamen tuum expectat ; tibi contra diabolum dimicanti præparat æternitatis coronam. (*b*) Vult enim nunc videre (inquit Bernardus) Dux CHRISTUS devoti militis vultum & tolerantiam. *Ego ſum*, dicit, omnia faciens, & diſponens ad ſalutem veſtram, *nolite timere*. (*c*) *Dicite puſillanimes, confortamini, & nolite timere*, (*d*) *ò Domine adauge nobis fidem*, (*e*) ut omnia quæ nobis eveniunt,

(a) *Luc.6.31.* (b) *S. Hier. in Epiſt.*
(c) *Luc.24.37.* (d) *Iſa.35.4.* (e) *Luc.17.6.*

niunt, juſtè, aut injuſtè; proſpera, & adverſa ſemper voluntati tuæ permittenti, omnia ſubjiciamus, & nos conformemus, nulla anguſtia, nulla inquietudine, non ira, non odio, non litigio, in omnibus ſemper dicendo: cum Gertruda magna. Non mea Domine, non mea, ſed tua voluntas fiat amantiſſime mi JESU. (*a*)

NEceſſarium nobis videtur explicare multa in hoc capite contrà litigantes, neve aliqui, vel multo rigore Verbum Dei intelligentes, vel multa relaxatione, ſenſum extorquentes, nihil proficiant in bonum. Verbum enim Dei eſt ſicut phlebotomum vel Scalper, niſi magna diligentia, attentione & arte pertractetur, non leve damnum infigit; ſed ſi diligenter ad id quod pertinet utimur, magnum bonum conficit. Ita eſt, & idem in ſententiis Sacræ Scripturæ intelligendis, ſervandum. Licet non omnia, in parvo tractatulo hoc, de Eleemoſyna paſſim declarari queant, majora verò quędam aſtringente neceſ-

(ſ) *Drexel. in Eliotr. lib. 4. c. 1. n. 1.*

ceſſitate, oportet vel moraliter, vel Anagogicè, vel thropologicè, aliquando etiam Theologicè declarare, præcipuè in aliquot eſtravagantes titulos, eſtravagantes, ſcilicet propter hominum eſtravagantias, non verò contrà veritatem in Evangelio inveteratam atque verſatam, quæ nullam habet eſtravagantiam.

Propriè litigium in verbis conſiſtit, inquit Angelicus, cum ſcilicet unus verbis alterius contradicit (ut videmus in Curiis contradicendo litigare): In qua quidem contradictione, duo poſſunt attendi: Quandoque enim contingit contradictio propter perſonam dicentis, cui contradicens conſentire recuſat propter defectum amoris animos unientis (nota ly defectum amoris, ſcilicet defectum dilectionis proximi in lege præceptæ) & hoc videtur ad diſcordiam pertinere charitati contrariam. Quandoque verò contradictio oritur ratione perſonæ, quam aliquis contriſtare non veretur. Et ſic fit litigium, quod prædictæ amicitiæ vel affabilitati opponi-

nitur, ad quam pertinet delectabiliter contravivere. Undè illi qui ad omnia contrariantur, cauſa ejus, quod eſt contriſtare, neque quoſcumque curantes: diſcoli & litigioſi vocantur (de injuſtè litigantibus nunc loquitur Angelicus, qui obſcurata ratione injuſtè litigant) Dicendum etiam quod contentio magis propriè pertinet ad contradictionem diſcordiæ; litigium autem ad contradictionem, quæ fit intentione cōtriſtandi. Directa etiam oppoſitio viciorum ad virtutes non attenditur ſed cauſa; cum contingat unum vicium ex diverſis cauſis oriri: ſed attenditur ſecundum ſpeciem actus; licèt autem quandoque litigium ex ira oriatur, poteſt tamen ex multis aliis cauſis oriri (*a*) ſcilicet etiam ex concupiſcentia temporalium bonorum & pecuniarum; & ideo injuſtè litigatur in Iudicio. Litigioſus (idem Angelicus inquit) qui ſemper abundat in contriſtando, gravius peccat (injuſtè ſcilicet litigando contra innocentem reum conventum) quam pla-

(a) S.*Tho*.2.2.*qu*.116. *art*.1.

placidus vel adulator, qui ſuperabundat in delectando. Alio modo poteſt conſiderari ſecundum exteriora motiva, & ſecundum hoc quandoque adulatio eſt gravior; puta quando intendit per deceptionem indebitum honorem vel lucrum acquirere: quandoque verò litigium eſt gravius, puta quando homo intendit, vel veritatem impugnare, vel dicentem, in contemptum adducere. (*a*) Dicendũ, quod ſicut adulator poteſt nocere occultè decipiendo; ità litigioſus (injuſtè litigando) poteſt interdum nocere manifeſtè impugnando; gravius autem eſt, cæteris paribus, manifeſtè alicui nocere, quaſi per violentiam, quàm occultè: Undè rapina eſt gravius peccatum, quàm furtum. Non ſemper in actibus humanis illud eſt graviùs quòd eſt turpiùs. Decor enim hominis eſt ex ratione: & ideo turpiora ſunt peccata, quibus caro dominatur; quamvis peccata ſpiritualia ſint graviora, quia procedunt ex majori con-

(a) Hòc nonnulli Advocati faciunt, ut vilipendant adverſarium.

contemptu. Similiter peccata quæ fiunt ex dolo (ſicut injuſtè litigantes, qui ſciunt injuſtam litem quam agũt, ex dolo committunt peccata) ſunt turpiora, in quantum videntur ex quadam infirmitate procedere, & ex quadam falſitate rationis: cum tamen peccata manifeſta, quandoque ſint ex majori contemptu; & ideo adulatio, quaſi cum dolo, exercens videtur eſſe turpior; ſed litigium, quaſi ex majori contemptu procedens, videtur eſſe gravius: quod ſicut dictum eſt, verecundia reſpicit turpitudinem peccati: Undè non ſemper magis verecundatur homo de graviori peccato, ſed de magis turpi peccato; & inde eſt, quod magis verecundatur homo de adulatione, quàm litigio, quamvis litigium ſit gravius. (*a*)

Pro communitate autem litigare cum juſta & rationabili cauſa, ac etiã neceſſaria, pro bono alicujus univerſitatis & communitatis, aut familiæ neceſſitate, permittitur; ſemper verò cum moderamine inculpatæ tutelæ.

(a) *S.Tho.2.2. qu.116. art.2.*

læ . Sed non contrà pauperes & reos debitores, ſed adverſus illos, qui gaudent de ſuperfluo; & aliis, quod æquum & juſtum eſt reddere recuſant dum poſſunt.

Verùm pro neceſſitate litigare ad repetendum quod juſtè debetur neceſſitati patienti, ſicut dictum eſt, non ſolùm licitum, ſed neceſſarium, & ſi aliter fieret, ad imperfectionem reputabitur, ne pereat familia, vel communitas; aut privata & ſola ſit perſona: Sed hoc vanum eſt dicere, ſicut mihi videtur, & experimento probatur. Nam ſi in neceſſitate conſtitutus eſt, qui juſtè litigat ad ſublevandam neceſſitatem ſuam, ut habeat, judicio mediante, & compellente, quod de jure illi debetur. Hoc conſideramus fieri non poſſe, niſi magno ſumptu, & gravibus expenſis neceſſariis, & quotidianis. Beneficia enim legis multa ſunt & infinita debitorum reorum favore, quæ magis calumniæ & cavillationes dici poſſunt, quam beneficia, ſicut inquit Bernardus: Hę autem non tam leges, quàm lites ſunt, & ca-

& cavillationes ſubvertentes judiciū: (a) Ergo quomodo agere poteſt pauper in neceſſitate conſtitutus, & expenſas neceſſarias facere quotidianas? Impoſſibile eſt illi in neceſſitate conſtituto; non enim habet ſuperfluum aliquod ultrà ſuum neceſſarium, & parte etiam neceſſarii deficiente: ubi erit illi modus expenſas litis faciendi?

Alia major eſt inconvenientia, quæ evitari poteſt cum ſola tranſactione, quomodocumque ſit; etſi tenuiſſima, ſemper erit lucroſa: Nam facto computo, prolongando juſtum litigium uſque ad finem: Expenſæ ſuperant totum id quod lucratur de victoria cauſę, & quod percipitur de juſta lite finita. Hoc non ſolùm experimento probatur ab omnibus attentè conſiderantibus & diſcutentibus computa; at nos quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur: ſicut etiam teſtatur Magnus Pontifex Innocentius Doctor egregius dicens: Sæ-

(b) *S. Bern. de conſid. ad Eugen. lib. 1. c. 4, lege totum.*

Digitized by Google

Sæpe juſtitia tantùm differtur, quod litigantibus plusquam totum auffertur: Quia major eſt ſumptus expenſæ quam fructus ſententiæ (*a*). Optimè ergo ille Pictor delineavit judicium: Judex bene compoſitus veſte præclara, ſimiliter Advocatus, Procurator, & Scriba alijque curiales: Actor verò qui juſtè litigavit ſolam ſubuculam habebat qui ſententiæ fructum recepit: Reus verò ad ſolvendum condemnatus, nudus totaliter erat. Hoc veraciter eſt litigantium lucrum, cum ſola ſubucula qui vincit, qui perdit, nudus; quia totum quod eſt in cauſa, & lis importat, in beneficium Judicũ in jus ſententiæ, Advocatorum, Procuratorum, Actuariorum, Scribarum aliorumque diffunditur & remanet. (*b*) Sicut etiam in ludo.

Ludunt homines, vincunt & perdunt, nunc ille, nunc iſte, pervolvitur pecunia, nunc ad illum, nunc ad iſtum redit; ſed non pervolvitur, nec

(a) *S. Innoc. de contemp. Mundi lib. 2. c. 5. de vend. juſtitiæ.* (b) Nota in cujus beneficium lis eſt & victoria cauſę.

Digitized by Google

nec redit quod ponitur in ludi gazophylacio, ibi remanet. (a) Facto computo à ludentibus, omnes perdunt, quia omnes pecuniæ in domo ludi remanent, & tam victores, quam victi nudi reſtant. Omnia homines agere intendunt pro eorum utilitate, & in hoc ſtudent, etſi neceſſe eſt etiam fraudibus. Sed tam in lite, quàm in ludo, non cognoſcunt quod non expedit litigare, nec ludere; quod litigando & ludendo, non ad eorum utilitatem agunt, ſed ad præjudicium & perditionem pecuniæ. Sed nota præjudicium & damnum, quod declarat homo Sanctus, & illuminatus ille Drexelius, dicens: Fervet opus ardent luſores; demum in ultimum punctum penè omne aurum ponitur. Alter evadit victor, aufert aureos. Victus abit fremens frendenſque. Et ò fortuna, inquit, nequiſſima, ò latrones! Quis meum mihi aurum reddit? Ita domum redit, ſtomachatur, furit, quæritur, familiam turbat, famulos exagitat, evertit omnia.

(a) Ludus quid lucri & cujus erit.

Digitized by Google

nia . (*a*)Ità noctem vix ſui compos tranſigit. (*b*)

Hoc lucrum in lite & in ludo à diabolo inſtigatum. Cogita frater ſi expedit litigare & ludere. Cogita quàm incerta & vana ſpes victoriæ;& ſi victus,quanta triſtitia,quanta animi inquietudo, quanta peccata ; ira facilè exardeſces etiam pro modica cauſa.O damnum hominis in anima & corpore!Si igitur in his rebus quæ vident oculis propriis, & manibus pertractant, non intelligunt, non cognoſcunt,cum terrena viſibilia ſint, quomodo Cæleſtia & inviſibilia ſapient? Hæc ſunt verba Evangelica:*Si terrena dixi vobis,& non creditis; quomodo ſi dixero vobis Cæleſtia,credetis?* (*c*)

HÆc autem quo ad temporalem utilitatem diximus: Tranſeamus nunc ad ſpiritualia ad perfectionem. Sed ſi etiam in juſta cauſa non litiges (non inſiſtentibus cauſis ut ſupra allegatis)nec convenies fratrem tuum,

(a) Conſcientię damnum ex ludo & inquietudo animi & corporis. (b)*Drexel.in Infern. c.* 17.*mihi pag.* 286.*ex tomuſc.* (c) Jo:3. 12.

tuum, ideſt, proximum tuum debitorem coram Judice; licèt non pauperem, vel habentem ſuperfluum. Hoc faciens ad tuam perfectionem facies; bene facies, & omnes qui faciunt, ad propriam perfectionem facient, & bene facient. Sed non debet recipi hoc, ut generalis doctrina, ut ad hanc perfectionem faciant omnes; nam ſi aliquis habens neceſſitatem, & minuendo ſuam ſubſtantiam, magis in neceſſitate ponitur cum ejus familia; ad repetendum, quæ ſua ſunt ex juſtitia, non illicitum erit litigare (infirmis; haud verò perfectis, ſicut ſupra diximus ex Auguſtino, quem refert Chartuſianus,) (a) & coram Judice vocare fratrem debitorem, potentem ſolvere debitum de ſuperfluis ſuis, non autem de neceſſariis. Omnis enim regula ſuam exceptionem habet; ſed hoc eſt regulæ privilegium. Habeo dicet aliquis regulam pro me, tibi incumbit onus probandi exceptionem regulæ; ſicut Sancta Mater Therefia, cui revelavit ac præcepit Domi.

(a) *D. Dionyſ. Chart. in ep. ad Cor. 1. Art. 6.*

minus in principio fundationis monaſteriorum ſuæ religionis, ut fundaret penitùs in nuda paupertate, abſque redditibus, & ità fecit. Poſt aliquot annos, cum quoddam Monaſterium fundare deberet, oblatis redditibus, recuſavit, dicens: In paupertate, non in redditibus, ſicut Dominus præcepit mihi. Sed metipſe Deus dixit ei: Accipe redditus, funda cum redditibus. Perplexa remanſa S. Matre, & quomodo Deus poſſit eſſe contrarius ſibi ipſi. Sed ecce Theologia, quæ explanat, dilucidat, & declarat omnia. Convocatis Salmaticenſibus Theologis, probaverunt cum Divo Thoma, haud contrarius Deus in duabus revelationibus: nam tempore primitivæ fundationis, expediens erat, ut fundarentur monaſteria abſque redditu, ne in principio novitatis regulæ, dicerent homines: bona noſtra tollere vult pro Monaſteriis edificandis & conſervandis; & ideo neceſſe fuit, pro qualitate temporis, fundare abſque redditibus. Poſtmodum jam bene fundata regula, & ab omnibus

recepta ac venerata, mutato jam illo primo tempore, expediens fuit, ut præciperetur illi fundare cum redditibus; ideoque in hoc non contrarius eſt Deus in verbis ſuis; Juxta ſimilitudinem Divi Thomæ. An contrarius eſt Pater familias Deus, qui in ęſtate calorē, hyeme frigus diſponit? homines in æſtate levi veſtitu incedunt, ſed in hyeme gravi. Nunquid contrarius ſibi erit Pater familias hoc diſponendo? Abſit, ſed prudens; accepto enim tempore, neceſſarium frigus hominibus, jumentis, & frugibus; calor verò in æſtate, neceſſarius etiam illis.

Ad theſim igitur noſtram veniamus: Ità ſimiliter de perfectione expedit intelligere, & quo ad litigium obſervare. Nunc, hanc perfectionem, non litigare pro re, quæ de jure debetur, nec à proximo fratre noſtro repetere, & compellere in judicio: Sed quia hæc non debet eſſe doctrina generalis, ut omnes facere debeant: Nam alio tempore, vel aliis, hæc perfectio non expedit; imò ad imperfectio-

ctio-

Digitized by Google

ctionem reputabitur, deſerendo repetere, & eſigere annualitates, ut familia vel communitas pereat in neceſſitate conſtituta, non repetendo judicialiter redditus ab aliis injuſtè retentos: Nam alio modo, niſi compellendo, poteſtate Judicis, non poteſt quod ſuum eſt habere ad ſuæ & familiæ neceſſitatem ſuccurrendam.

Sed mox iterùm ad perfectionem loquitur ſincera CHARITAS: ſi in neceſſitate conſtitutus non eſt creditor, ſed debitor, bonum erit vitę æternæ meritorium, non compellere debitorem pauperem in neceſſitate conſtitutum, licèt non totaliter pauper ſit; ne tibi eveniat illud quod ſcriptum eſt in Evangelio æterno: *Serve nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me: nonne ergo oportuit, & te miſereri conſervi tui, ſicut & ego tui miſertus ſum. Et iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet univerſum debitum. Sic & Pater meus Cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſéritis unusquiſque fratri ſuo de cordibus*

 ve-

veſtris. (*a*) Omne debitum dimittit nobis Deus, rogando eum, ut miſericordiam largiatur nobis de debitis noſtris, dicentes: *Dimitte nobis debita noſtra*, ſed qua ratione compellit oratio? *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*; (*b*) Sed ſi nos non dimittimus, opere, debitoribus noſtris; oratio eſt, ut Deus non dimittat nobis debita noſtra, in ly *Sicut*. Deus qui lùmen eſt, illuminet corda noſtra & intelligentias noſtras, ut veritatem Dei cognoſcamus, & perficiamus non tantùm verbo ſed opere. Hoc tantùm ſciat Chriſtianus, quod dicit Apoſtolus: Debitum, & jus inter Chriſtianos CHARITAS. (*c*) Non enim fortia loquor, ſed poſſibilia (mutuabor à mellifluo verba hæc) putas ne hæc tempora ſuſtinerent, ſi hominibus litigantibus pro terrena hæreditate, & flagitantibus abſit judicium? (*d*) Controventio enim eſt præcepto Dei in levitico, dicens: *Neque in vinea tua race-*

ce-

(a) *Matth.18.32. & ſeq.* (b) *Matt.6.12.* (c) *Rom.13.8.* (d) *S. Bern. de conſiderat. ad Eug. lib.1. c.6.*

Digitized by Google

cemos, & grana decidentia congregabis, ſed pauperibus & peregrinis carpenda dimittes (*a*) ergo quænoſtra ſunt omni jure, ſed ſuperflua, aliis egentibus dimittere debemus: Nunc quidem (commentat Iſychius) dantes egentibus, nunc autem, non exigentes, quod nobis debent, (*b*) ſed & concedentes eis colligere quaſcumque reliquias omnium bonorum, quæ à Deo donata ſunt nobis repererint, & imitari eum, qui donavit; non tantùm miſericordem, ſed & qui multæ miſerationis eſt. (*c*) *Si enim*, inquit Paulus, *propter cibum frater tuus contriſtatur, jam non ſecundum charitatem ambulas; Noli cibo tuo illum perdere pro quo CHRISTVS mortuus eſt.* (*d*)

Scriptum eſt: *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere; ità enim fiet ut nec à te avertatur facies Domini. Quomodo*

(a) *Lev.* 19.9. (b) Serò conſidera, commentum tam magni ſacri Authoris, & nota ly *non exigentes quod nobis debent, ſed & concedentes*; quando pauperes ſunt debitores noſtri, licet non mendicantes, ſeu quæſtuantes. (c) *Iſychius com. in levitic. lib:6.* (d) *Rom.* 14. 15.

potueris, ità eſto miſericors (*a*) faciem avertit à pauperibus (inquit illuminatus ille Drexelius) qui debitores egenos, aut ſubditos depauperatos, rigida vi ad expedienda nomina compellit. (*b*) Severus inſtat exactor, heus ſolve ad diem, ſolve. Non poſſum, fac poſſis, ſolve: Expediam nomen. Sed hoc menſe non poſſum. Hoc menſe debes. Ultrà omnes vires meas eſt, æs alienum tam citò luere. Niſi mox luis, cogam. Ah grando vaſtavit agros, jugulavit ſegetes, arva non reſponderunt, prędator miles, aut ſubitum fulmen combuſſit horreum, ſtatutum frumenti penſum reddere non poſſum. *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi?* (*c*) Nihilominus pręmit creditor: heus ruſtice frumentum repræſenta, aut cippo includeris. Non poſſum etſi velim repræſentare. Ergo tibi compedes impingam, corpus in nervum dabis, qui non habet in

(a) *Tob*.4.7. (b) Seriò conſidera hanc impietatem, & immiſericordiam erga pauperes debitores, & experientia in multis, veritaté habebis. (c) *Mat*.18.29.

in ęre luat in corpore: *Redde quod debes & tenens ſuffocabat eum.* (*a*) Mitiùs mi here mitiùs. Redde quod debes, aut proximus eſt lictor, qui in robur te rapiat. *Patientiam habe, & omnia reddam tibi: ille autem noluit, ſed abijt, & miſit eum in carcerem donec redderet debitum.* (*b*) Ità vultus, & una omnis humanitas avertitur à paupere. (*c*) Quod teſtatus Iſaias: *Ecce*, inquit, *in die jejunij veſtri, invenitur voluntas veſtra, & omnes debitores veſtros repetitis. Ecce ad lites & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impiè.* (*d*)

In priſca lege Deus hanc vim vehementer averſatus, præcepit ſuis (multò amplius in nova, in proximi dilectione) *Cum repetes à proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non ingrèdieris domum ejus, ut pignus auferas, ſed ſtabis foris, & ille tibi proferet quod habuerit. Sin autem pauper eſt, non pernoctabit apud te pignus.* (*e*) Quod ſolitus interpres, ità explicat. Qui repetit

 non

(a) *Matt.* 18. 28. (b) *Drexel. in ſuo Tobia part.* 1 *c.*10.§.2. (c) *Matt.*18. 28. *ad* 30. (d) *Iſa.*58.3.& 4. (e) *Deut.*24.10.& 11.

Digitized by Google

non habentem, Deo facit violentiam: (*a*) nam ſæpè veſtis ſtragula, & lectuli operimentum, & curtiſſima ſuppellex pauperibus violēter adimitur, (*b*) ut ad expediendā ſolutionem adigantur (*c*) *Viſcera impiorum crudelia,* (*d*) planè ferrea. Sed his talibus non parcet Deus; *nam omne debitum dimittit nobis* rogatus, (*e*) *& ſi nos non dimittimus debitoribus noſtris, nec ille dimittet nobis debita noſtra.* (*f*)

Iſidorus Peluſiota, hominem illum cenſet audaciſſimum, qui Deum Patrem appellat; & nil minùs facit, quàm quod decet filium. Dicit quidem: *Sanctificetur nomen tuum*; ille ipſe tamen quotidie, & horis penè ſingulis Divinum nomen verbo violat. *Adveniat regnum tuum*; cogitationes interim impuriſſimas, Venerem & Orcum olentes in animo nutrit. *Fiat voluntas tua*. Ipſe nihilominus ſui ſenſus & cerebri homo, vix unquam vult,

(a) Executio quæ fit in bonis pauperis contra legem Domini. (b) Hoc in praxi experitur. (c) *Id Drexel. loc. cit.* (d) *Prov.* 12, 10. (e) *Mat.* 18. 27. (f) *Mat.* 6. 12.

Digitized by Google

vult, quod vult Deus: (a) *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*; cum tamen inſatiabilis ſit vorago, nec victum quærat quotidianum, ſed plurium dierum & annorum; opes & divitias, & datis à Deo, utatur contrà Deum. *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*. Impudentiſſimus mortalium veniam petit, ipſe inexorabilis perſtat, & vel digitulo ictus ignem vomit, gladium ſtringit, patibulum minatur, in minimas ſævit injuriolas. *Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo*. (b) Riſum teneamus amici: hic homo vult à malo liberari; nullam interim mali aut peccati occaſionem vitat. Non neſcit, quo loco pudicitia, quo ſobrietas, quo caſtitas periculum adeat, id tamen non declinat: Ludit et jocatur cum Deo. (c) Ità oramus, & ſimul neſcio quæ ſomniamus. Pſalmos percurrimus, orationem Domi-

(a) Perſæpe voluntati Dei recuſantes ſunt homines uti perduelles. (b) *Matt. 6. 13.* (c) *S. Iſidor. Peluſ. apud Drexel. in Cœleſt. Rhetor. lib. 1. c. 3. §. 4.*

nicam aliquoties raptim convoluimus. Quęrat quis non immeritò: Quid oraſti? Neſcimus ipſi, imò dubitamus, an dixerimus quæ diximus.

Adversùs hos oratores Deus jam olim graviſsimè quęſtus per Iſaiam: *Appropinquat populus iſte ore ſuo*, inquit, *& labiis ſuis glorificat me, cor autem ejus longè eſt à me*. (*a*) CHRISTUS Dei filius, idem per Matthæum: *Populus hic, labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me*. (*b*)

Hominem contemplamur oculis, & tamen quærit logica & Phyſica, quærit Theologia: Quid eſt homo? (*c*) Philoſophi, animal rationale ajunt eſſe hominem. Longè aliter Theologi, quibus: homo eſt ipſa inconſtantia, cum Jobo teſte: *Nunquam in eodem ſtatu permanet*. (*d*) Si globus in ſummo monte incipiat ruere, præcipitem curſum non ſiſtit, dum ad môtis radices devenerit; at verò globus terræ immiſſus, nil fugæ molitur: Cor humanum volubili globo ſimillimum,

(a) *Iſa*. 29. 13. (b) *Matt*. 5. 8. (c) Quid eſt homo. (d) *Job*. 14. 2.

mum, niſi Deo altiùs ſeſe immergat, cadendi ac præcipitandi finem non inveniet ; uſque & uſque volvetur præcipiti fuga: Ità ſi nos non dimittimus debitoribus noſtris, nec Deus dimittet debita noſtra,& præcipitandi finem non inveniemus uſque ad tartarum; quia *judicium ſinè miſericordia illi, qui non fecit miſericordiam*. (*a*) Cujus & ſpecimen dedit Deus in Beliſario, Juſtiniani Cæſaris ſupremo Duce, qui tot Reges vicit, tot egit triumphos; tandem erutis oculis, devolutus ad ſaccum, publicè mendicavit. AjuntConſtantinopolim eam columnam etiamnum ſtare, ad quam ſolitus ſedere, ac clamare: Date obolum pauperi Beliſario. (*b*) Hujus ergo facinora, non proclamabo, ſed veroſimillimum eſt quod militia fieri amat, à Beliſario pauperes ſpoliatos,

(a) Jac.2.13. (b) Hoc quod Beliſario, cuilibet evenire poteſt Deo ordināte propter præcedētem immiſericordiam & impietatem ergà pauperes aut debiles non potētes ſe defendere: & ideo omnes timere debent, ne faciant talia opera, ut ad petendum obolum deveniant,

Digitized by Google

fortunis omnibus exutos, eorum domus combuſtas; aut certè tales has injurias illis allatas, ab ipſo diſſimulatas. Tandem ſuorum vindex conſurgit Deus, par pari reddit: *Qua enim menſura menſi fuerimus, remetietur nobis*. (*a*) Grave eſt pupillam Dei tangere, ne dicam violare, aut lædere, qui pauperes lædit, Dei pupillam fodit. Deus quidem patientiſſimus, ſummè longanimis, immenſæ miſericordiæ eſt; has tamen injurias ſibi in ſuis minimis fratribus irrogatas, vix unquam diù diſſimulat. (*b*) nec frigida & vana oratione movetur, ore tantùm & non opere.

In alio verò caſu ut ſupra allegato de debitore ſuperfluum habente, & de creditore neceſſitatem patiente, hic ſemper modis placidis in judicio agere debet, abſque odio, abſque livore, non quomodo injuſtè litigantes agunt, tot induſtriis & modis illicitis, ad extorquenda decreta & Sententias, ſed agere, juſtè, moderatè,

(a) *Luc. 6. 38.* (b) *Drexel. in ſuo Tob. par. 1. c. 10. §. 2. ex tomuſcul.*

Digitized by Google

tè, & ſi fieri poteſt, accepta induſtria & diligentia, ad evitandum litigium in foro & coram Judice, amicis interpoſitis, tractare tranſactionem, licet relinquatur pars aliqua actionis & juſtæ prætenſionis, vel parva, vel magna, optimum eſt, ut non ſimus de cœtu litigantium, ſed pacificorum, de quibus dicit CHRISTUS: *Beati pacifici: Quoniam filii Dei vocabuntur.* (*a*) etiamſi actor, vel reus, ſeu creditor, vel debitor ſit, deveniat ad tranſactionem, (*b*) & ſi aliquid minuatur de credito vel minùs, vel majùs, Citò *eſto conſentiens adverſario tuo*, (*c*) poteſt enim hoc modo cum aliis intelligentiis hoc ſenſu intelligi id quod dicit Dominus, conſentire adverſario noſtro, qui adverſatur veritati & juſtitiæ & innocentiæ noſtræ in judicio; huic adverſario eſto conſentiens ſi non in totum, tamen in partem, ut quieſcat ab injuſtitia ſua, & ab injuſta li-

(a) *Matt.* 5. 10. (b) Tranſactio procurãda eſt omni ſtudio & diligentia, ut evitetur litigium cum proximo fratre noſtro.
(c) *Matt.* 5. 25.

Digitized by Google

lite mora recedat. Feſtinat Dominus, inquit Ghryſoſtomus, ut ad amicitiam feſtinemus inimicorum noſtrorum, quandiu vivimus in hac vita. Vita enim omnium hominum communis eſt, vita iſta carnalis, per quam omnes homines tranſeunt boni & mali: (a) *Et ſuper bonos, & malos*, miſericordia Dei, *Solem ſuum oriri facit, & pluit ſuper juſtos, & injuſtos*; (b) ità etiam nos ſuper juſtos & injuſtos debemus miſericordiam & benignitatē noſtram habere, omni lucro & temporali convenientia poſtpoſita propria: habendo ſemper præ oculis verba Apoſtoli, & præ manibus, & in lingua, & in corde: *Non quod mihi utile eſt, ſed quod multis*: (c) Quia charitas, inquit Chryſoſtomus, & verus amor ergà Deum & proximum, non quærit quæ ſua ſunt, ſed ad libitum amati cuncta perficere deſiderat, deinde quæ ad propriam utilitatem: Et ſicut mercenarius totum diem circà domini opus impendit, unam autem

(a) *Chryſ. hom. 11. in cap. 5. Mat. in op. im. perf. 10:2.* (b) *Matt. 5.45.* (c) *1. Cor. 10.33.*

tem horam circà ſuum cibum: ſic & nos, totum tempus vitæ noſtræ, circà opus gloriȩ Dei debemus impendere, modicam autem partem circà uſus terrenos: & ſicut ſi mercenarius qua die opus non fecerit, erubeſcit intrare in domum & petere ſibi panem, ſive mercedem operis non patrati: quomodo tu non confunderis intrare in Eccleſiam & ſtare antè conſpectū Dei, & dicere: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie* &c. (*a*) quando nihil boni in conſpectu Dei egiſti? Boni, ſcilicet, miſericordiæ, primum animæ tuæ, poſtmodum ſuper juſtos & injuſtos, quæ major eſt quam ſacrificium. *Qui legit intelligat:* (*b*) *& qui habet aures audiendi audiat.* (*c*)

HÆc omnia dicta ſunt in cauſis civilibus in foro verſanti, & has limitationes adduximus. In cauſis verò criminalibus, agere contrà reos inquiſitos, omninò prohibetur. Ad perfectionem loquitur, & quibus excellentior via demonſtratur. Aliis ve-

(a) S. Jo: Chryſ. ho. 34. in Mat. c. 20. tom. 2.
(b) *Mat.* 24. 15 (c) Jo: 14. 35.

verò actione injuriarum, depoſito rancore coràm Judice agere, licitum civili jure ex ſæculorum corruptione, ſed non ad perfectionem; Juxtà dilectionem Evangelicam in amicos & inimicos; Nam hoc ad vindictam pertinet, ad offenſam & pœnam infligendam fratri noſtro proximo peccanti; quod noſtrum non eſt, & ſoli Deo reſervatum, qui dicit: *Mihi vindicta*: (*a*) *Mea eſt ultio &c. ego occidam, & ego vivere faciam.* (*b*) Et non ſolùm Deo reſervatum; ſed etiam hominibus conceſſum, qui habent gladii poteſtatem, ut formidine pœnæ viſibilis, non peccent mali homines delinquere ſoliti: Haud verò privatis inſiſtere ad vindictam licèt juſtam; & hoc iterùm dicimus quò ad perfectionem loquendo, aliàs non illicitum, ex abuſione & corruptela temporum quia uſuale factum coràm hominibus, non coràm Deo in abuſum & deſuetudinem Evangelii Domini noſtri JESU Chriſti. (*c*)

Quo

(a) *Rom.* 12. 19. (b) *Deut.* 32. 35.
(c) *Matt.* 5. 44.

Quò ad Poteſtates verò, ut jam dictum eſt, non ſolùm licitum, ſed neceſſarium & bonum, vindictam exercere; quia vindicta Juſtitiæ eſt, non propria, non ad alterius ultionem: Imò ad virtutem eroicam illam Eleemoſynæ pertinet, juxtà Auguſtinum dicentem: Verum etiam, & qui dat væniam peccanti, Eleemoſynam dat: & qui emendat verbere, in quem poteſtas datur, vel coercet aliqua diſciplina &c. & in eò quod corripit, & aliqua emendatoria pœna plectit, Eleemoſynam dat, quia miſericordiã præſtat. Multa enim bona præſtantur invitis, quando eorum conſulitur utilitati, non voluntati. Amici verò illorum potiùs ſunt illi, quos inimicos putant, & reddunt errando, mala pro bonis. (*a*) Hæc Auguſtinus de Judicibus & Poteſtatibus, qui pœna emendatoria plectunt reos inquiſitos de delictis, ut à peccatis ſe abſtineant ipſi & videntes, ut ſaltẽ formidine pœnæ non peccent: Haud verò illis, qui non habent gladii poteſtatem poſſe fieri cenſetur, ut privati. Ad

(d) *S. Aug. in Enchir. c. 71.*

Ad hoc propoſitum, licèt non legatur toto Codice ſacro novi teſtamenti Apoſtolos & Chriſtianos in temporibus illis litigaſſe, & coràm Judicibus petitiones ſuas porrexiſſe pro re temporali habenda quæ de jure pertineret; tamen ſcriptum eſt in actibus Apoſtolorum, quod Petrus qui habebat gladii poteſtatem & miniſterium à CHRISTO in omnes Chriſtifideles: Peccantibus & delinquentibus Anania & Saphira, ſola interrogatione confuſis & convictis, ſtatim ad mortem traditis. Hoc non tantùm ad pœnam delinquentium propriam, ſed ad exemplum & terrorem aliorum, ne in ſimilibus inciderent: Scriptura teſtante: *Et factus eſt timor magnus ſuper omnes qui audierunt:* (*a*) Ergo abſque exceptione ulla, non tantùm licitum, verumetiam neceſſarium à Deo comprobatum, ut qui habent gladii poteſtatem infigant pœnam delinquentibus, (*b*) ut formidi-

(a) *Act.* 5. 5. & 11. (b) Contrarium ſentit Bernardus, de Eccleſiaſticis loquens, non de Sæcularibus Judiciis. *De conſiderat. ad Eugen. l.* 1. *c.* 1. *lege totum*.

dine pœnæ non peccent mali homines. Haud verò privatis non habentibus hanc gladii poteſtatem.

Defenſionem certè agere reorum, Charitatis eſt bonum, etiam prævia mercede: ſed quo ad offenſam, ab Evangelio omninò prohibetur. Hac de cauſa praxis eſt in Eccleſia, quæ licentiam præbet Eccleſiaſticis jurare depoſitionem in Judicio, pro veritatis dilucidatione; ſemper verò de ſtylo adjungit: *Dummodo ſit in cauſa merè civili*; ne damnum proximo, licèt peccanti, inferatur.

Proh dolor videmus Chriſtianos contrà Chriſtianos agere & litigare in criminalibus, ut reus non tantùm pœnam quam meretur, ſed majorem, & etiam mortem aliquando habeat, (*a*) exercendo vindictam contrà *præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* (*b*) *Diligite*, inquit, *inimicos veſtros: benefacite his, qui oderunt vos: orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, ut ſitis filii Patris veſtri, qui in Cœlis eſt, qui* So-

(a) Habes plura ubi ſup. pag. 514. de inimicis & offenſoribus. (b) *Pſal.* 18. 9.

Digitized by Google

Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos: Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habetis ? Nonne & publicani hoc faciunt? Nota quantas rationes, quantas induſtrias & diligentias ad perſuadendum, ut hoc præceptum obſervetur ad virtutem vitæ æternæ meritoriam perficiendam, *Et ſi ſalutaveritis fratres veſtros tantùm, quid amplius facitis? Nonne & etnici hoc faciunt? Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter Cœleſtis perfectus eſt.* (*a*) Et ne quis audeat dicere, quod hoc loquitur CHRISTUS cum diſcipulis & Eccleſiaſticis; ipſe prævidit cum Apoſtolis loquens: *Quod vobis dico, omnibus dico.* (*b*) Ergo totum Evangelium æternum Domini noſtri JESU Chriſti, omnibus hominibus loquitur, præcipuè Chriſtianis, nemine excepto, uſque ad conſumationem ſæculi.

Sed attentè conſideremus, quanta induſtria, toto codice Sacro veteris & novi teſtamenti, Dominus præcipiat pacem cum proximo noſtro, etſi malus

(a) *Matt.* 5.44. (c) *Marc.* 13. 37.

lus ſit, & gravans, & injuriam inferens: etſi inimicus; etſi offendens contrà jus & juſtitiam, præcipit Dominus ut poſtponamus munus noſtrum, ideſt Sacrificium, ut priùs reconciliemur cum fratribus proximis noſtris cum quibus vel odium vel jurgia vel lites habemus: inquit enim: *Si offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adverſum te: relinque ibi munus tuum antè Altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens, offeres munus tuum.* (*a*) Ideoque oramus Dominum: *Dimitte nobis debita noſtra*, ſed quomodo? *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris &c. Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum: dimittet vobis Pater Cæleſtis delicta veſtra: Si autem non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* (*b*) Ad tam magnum tonitrum, inquit Auguſtinus, qui non expergiſcitur, non dormit ſed mortuus eſt: & tamen potens eſt ille etiam mortuos ſuſcitare. (*c*) Au-

(a) *Mat.5. 23.* (b) *Matt.6.12.*
(c) *S. Aug. in Enchyrid. c.37.*

Audi frater in Chriſto JESU quid Spiritusſanctus contrà te per Siracidē dicat, qui inimicum tuum perſequeris: *Qui vindicari vult*, inquit, *à Domino inveniet vindictam, & peccata illius ſervans ſervabit. Relinque proximo tuo nocenti te: & tunc deprecanti tibi peccata ſolventur. Homo homini reſervat iram & à Deo quærit medelam? In hominem ſimilem ſibi, non habet miſericordiam, & de peccatis ſuis deprecatur? Ipſe dum caro ſit, reſervat iram; & propitiationem petit à Deo? Quis exorabit pro delictis illius*, ſi non exorat miſericordia, nullus exorat, *Memento noviſſimorum, & deſine inimicari.* (a) Seriò conſidera verba hæc Omnipotentis Dei Creatoris, per os Sanctorum ſuorum proclamata, qui judicaturus eſt omnes homines, & reddet illis ſecundum opera eorum, & qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui verò mala in ignem æternum. Credis in hoc frater in Chriſto JESU? Si credis, fac quod credis & fides eſt viva, ſcilicet operans: Si non credis, ut quid Chri-

(a) Ecc. 28. 1.

Digitized by Google

Chriſtianum eſſe, magnum quid gloriaris? Vanus tibi certe erit titulus ſine re. Chriſtiani nomen, inquit Auguſtinus, ille fruſtra ſortitur, qui CHRISTUM minimè imitatur: quid enim tibi prodeſt vocari quod non es, & nomen uſurpare alienum? Sed ſi Chriſtianum te eſſe delectat, quæ Chriſtianitatis ſunt gere, & meritò tibi nomen Chriſtiani aſſume. (*a*) Ille vere Chriſtianus eſt qui omnibus miſericordiam facit, qui nulla omninò movetur injuria, qui alienum dolorē tamquam proprium ſentit; cujus menſam nullus pauper ignorat, qui coràm hominibus inglorius habetur, ut coràm Deo & Angelis glorietur: qui terrena contemnit ut poſſit habere Cœleſtia: qui opprimi pauperem ſe preſente non patitur: qui miſeris ſubvenit: qui ad fletum, fletibus provocatur: Quod bene faciebat Paulus, dicens. *Quis infirmatur, & egò non infirmor.* (*b*)

Hoc idem dixit JESUS homini illi per

(a) Quis verus Chriſtianus.
(b) *S. Aug. de vit. Chriſtian.*

per trigintaocto annos infirmo, qui jacebat in Piſcina: Sanavit eum, ſed adjunxit: *Tolle grabatum tuum, & ambula*. (*a*) Quaſi diceret, inquit idem Auguſtinus, cum eſſes languidus portabat te proximus tuus: Sanus factus es, porta proximum tuum, (*b*) ſcilicet tolera in infirmitatibus ſuis. Quid enim eſt dicere (ſequitur Venerabilis) ſurge & ambula: Niſi à torpore & ignavia in quibus priùs jacebas, erigere & in bonis operibus perficere ſtude? Tolle grabatum tuum, ideſt proximum tuum, à quo portaris, & ipſe patienter tolera (*c*) in infirmitatibus ſuis, conſiderando infirmitates tuas, peccata tua, quæ tolerat Deus & miſeretur; Ità & ipſe debes portare & tolerare infirmitates proximi tui, ſicut ipſe velles ab aliis portari & tolerari.

Quando vides proximum tuum peccantem in te vel in alios, indue viſcera tua miſericordiæ, & elevatis

ocu-

(a) *Matt. 5. 1.* (b) *S. Aug. tr. 17. in Jo: 10. 9.*
(c) *S. Beda in hoc loco to. 5. ex cat. aur. D. To: in Jo. 5.*

oculis, da gratias Deo, quia poterat permittere quod & tu ipſe fuiſſes in illo peccato, & non fecit, & non permiſit: Da gratias, quia lumen dedit tibi, & non obcœcavit rationem, ſed gratia ſua confortavit, nec amovit eã à te. Da gratias, quando vides pauperem petentem tibi Eleemoſynam, quia pauperem te facere poterat, ſicut ille pauper eſt, & non fecit: Ità & in aliis infirmitatibus & neceſſitatibus aut corporalibus aut ſpiritualibus, licèt magnis, licèt valdè execrandis: Da gratias, & tolle grabatum tuum, porta proximum tuum, tolerando & compaſſionando, ſicut præcipit Apoſtolus: *Induite vos viſcera miſericordiæ, ſicut electi, & dilecti Dei*. (a)

Neque dicas, ego nunquam fui latro ſicut ille, nunquam homicida nec adulter, nunquam grave publicum & probatum delictum coràm hominibus & Poteſtatibus feci. Nil ſinè prudentia & ratione perpetravi. Si non feciſti, poteras facere, niſi gratia Dei adjutus fuiſſes ad non faciendum. Potes

 etiam

(a) *Coloſ.* 3.12.

etiam nunc, vel poſtmodum facere, ſi avertit Deus miſericordiam ſuam à te, occulto Judicio ſuo. Ergo da gratias Deo, & noli eſſe rebellis lumini, ſed tolera proximum tuum nocentem tibi vel aliis; ut Pater tuus qui in Cœlis eſt toleret te, & dimittat tibi debita tua: *Miſericordes enim miſericordiam conſequentur*. (*a*) & è contrà: *Judicium ſinè miſericordia illi, qui non fecit miſericordiam*. (*b*) *Qui legit intelligat*: (*c*) *Et qui habet aures audiendi audiat*. (*d*)

Deus præcipit in Evangelio diligere inimicos; ſed Chriſtianus non paret juſſis. Ecquid Chriſtianum ſe eſſe dicit? Omnia creata obediunt Creatori, ſolus homo reluctatur. O' miſer quid reſiſtis? Aut obediendum, aut moriendum eſt, Ubi nihil obedientiæ nihil Divinæ gratiæ. Hanc controventionem, non ſolùm partes læſæ & injuriatæ, verum etiam Advocati & (*e*) pro-

(a) *Matt*. 5. 7. (b) *Jac*. 2. 13. (c) *Mar*. 13. 14. (d) *Mat*. 13. 9. (e) Advocati & procuratores qui injuſtas cauſas defendunt; etſi juſtas in criminalibus, ad vindictam principalium defendunt, cooperantes impietati eorum pecunia mediante.

procuratores pro vili intereſſe faciũt, licèt non pro vindicta: quod graviùs eſt, quia frigido ſanguine, ut aſſaſſini, mediante pecunia agunt: *Et pecuniæ obediunt omnia*, (*a*) licèt mala. Undè putas, concludit generaliter loquendo Chryſoſtomus: Undè putas, lites in Eccleſia (ſcilicet inter Chriſtianos) inimicitias, altercationes invicem, niſi propter avaritiam, propter invidiam, aut propter Superbiam, propter vanos honores? Tolle hæc, & nulla diſcordia invenitur in Chriſtianis. (*b*)

Filius honorat patrem ſuum, & ſervus timet dominum ſuum, inquit Dominus per Malachiam, *ſi ergo Pater ego ſum, ubi eſt honor meus? Et ſi Dominus ego ſum ubi eſt timor meus?* (*c*) JESUS autem in Evangelio: *Cui multum datum eſt multum quæretur ab eo.* (*d*) Nonne multum datum eſt his Advocatis Doctoribus? Dedit illis Deus ſcientiam, cognitionem Scripturarum, lectionem & intelligentiam librorum, in quibus in-

(a) *Eccli.* 10.20. (b) *S. Jo: Chryſ. ho.* 40. *in Mat.* 21. *tom.* 2. (c) *Malach.* 1. 6. (d) *Luc.* 12. 48.

veniuntur omnia,ut faciliùs veritatem quæ à Deo eſt audiant & intelligant: quod certè multum datum; Non ſic idiotis datum eſt hoc multũ, qui multoties ignorantia eorum neſciunt *declinare à malo, & facere bonum*; (*a*) licèt ſufficiat illis catechiſmus & preceptorum obſervatio ad æternam ſalutem capeſſendam; ſed tamen non multum datum eſt. Itaque quanto major eſt dilectio atque dignatio Dei ad nos, quò etiam major eſt miſericordia ejus in nobis, & quò plura ac majora beneficia contulit nobis; eò vitioſior eſt ingratitudo, inobedientia & tranſgreſſio noſtra, & eò graviùs ac rigoroſiùs judicium imminet nobis.

Porrò tanta eſt Charitas & dignatio Dei ad nos, (*b*) quod à nobis pauperrimis & indignis homunciis, Pater appellari dignatur; idcirco tenemur eum filialiter reamare & honorare: quod fieri non poteſt, niſi ejus præcepta in omnibus obſervemus, ſicut metipſe CHRISTUS declarat: *Qui ſervat man-*

(a) *Rom.*12.9. (b) Dignatio Dei ratione Paternæ dilectionis, quanta.

mandata mea, ille eſt qui diligit me. (*a*) Sed quæ mandata ſunt obſervanda? Unum ſcilicet pro omnibus: *Dilige proximum tuum ſicut teipſum*. (*b*) *Qui* enim inquit gentium Apoſtolus, *diligit proximum, legem implevit*, legem ſcilicet mandata omnia legis, *dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis eſt dilectio*. (*c*) Ac demum inquit Dominus: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit*. (*d*) Sed quinam ſermo eſt? Ipſe demonſtrat: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem*. (*e*) Quomodo hoc præceptum imperiali voce datum ab habente poteſtatem adimplent criminales Advocati agentes & advocantes contrà proximos reos inquiſitos, ut puniantur & affligantur ſinè miſericordia & dilectione à CHRISTO præcepta? *Qui habet aures audiendi audiat*, (*f*) & ipſi conſulant conſcientiam eorum, quia *legunt*, & *intelligunt*, (*g*) ſi volunt intelligere ac operibus perficere verba quæ dicit

 CHRI-

(a) Jo: 14. 21. (b) *Luc*. 10. 29. (c) *Rom*. 13. 8. (d) Jo: 14. 23. (e) Jo: 15. 17. (f) Jo: 14. 35. (g) *Mat*. 24. 15

CHRISTUS Judex vivorum & mortuorum. Hoc tantùm ſciant, quod dicit Paterfamilias,& tempore ſuo audient, velint nolint: *Redde rationem* (*a*) de advocatione contrà proximum reum inquiſitum ut puniatur, de patrato delicto, pecunia mediante, contrà proximi dilectionem. Faciat hoc Poteſtas, qui habet gladii poteſtatem, ſi juſtitia requirat, non tu qui non habes hanc poteſtatem. Idcircò qui nec amore,nec timore à Divinorum transgreſſione præceptorum retrahitur, omninò ingratus eſt charitati & dignationi Dei ad ſe; atque meretur odio haberi, & indignanter repelli à Deo, licet vociferantibus iſtis cum Virginibus fatuis: *Domine Domine aperi nobis: at ille reſpondens, neſcio vos, & clauſa eſt janua* (*b*) æternæ felicitatis: *Non* enim *omnis qui dicit Domine Domine intrabit in Regnum Cœlorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei qui in Cœlis eſt.* (*c*) Sed quænam eſt voluntas Dei? Diligere proximum ſicut & Deus dilexit nos.

In-

(a) *Luc.*16.2. (b) *Mat.*25.11. (c) *Mat.*7.21.

Inſuper tot & tanta ſunt beneficia Dei nobis exhibita, quod nihil equivalens aut condignum rependere ei valeamus, etiamſi totis viribus ſervierimus ei & honoraverimus eum. Nonne ergo inæſtimabiliter magna, perverſa atque damnabilis eſt ingratitudo, improbitas, inobedientia, ac rebellio iniquorum, qui Creatorem ſuum, non ſolùm non honorant ut Pater; nec timent ut Dominus, nec diligunt totis viribus ſuis: Imò potiùs quotidie inhonorant, contemnunt, derelinquunt corde, ore, & opere, multiplici quoque vitioſa omiſſione? Et ſi dicant ſe non contemnere Deum: certum eſt quod in tantum deſpiciunt eum, quantum ejus mandata tranſgrediuntur, & quantum ſuæ bonitati & dignitati immenſæ, præferunt iſta carnalia & terrena vana bona, falſa, caduca, tranſitoria; nec debitam curã, diligentiamque apponunt ad obediendum ei in cunctis. Inſuper quò Dominus Majeſtatis diutiùs nobis pepercit, & gratioſiùs toleravit nos in noſtris exceſſibus, eò ineffabiliter

Ubi miſerrimi ſe abſcondent? *Dicent montibus cadite ſuper nos & cooperite nos*, (*a*) ſed non cooperient. Quid reſpondebunt unigenito filio Dei qui propter eos factus eſt homo, converſatus in mundo, affixus patibulo; cui non ſolùm ſubtraxerunt ſeipſos vitiosè vivendo abſque proximi dilectione & Dei; ſed alios quoque ipſi variis modis ad peccandum allicierunt, & ſic fructum Paſſionis & Sanguinis CHRISTI in ſeipſis ac aliis impedierunt? Quod prorſus diabolicum eſt, & tranſgreſſio contrà Deum Altiſſimum. Ex hoc ergo quod Deus tam miſericorditer agit nobiſcum, vehementiùs formidemus ejus Judicium; certi quod tanto juſtiùs ac rigoroſiùs aget nobiſcum poſt vitam præſentem, ſi ingrati fuerimus & rebelles lumini; Non enim minor eſt juſtitia quam miſericordia.

Rurſus quò majora & plura beneficia præſtitit nobis, eò plùs vereamur, quia de univerſis & ſingulis beneficiis ſuis exiget rationem, dicens: *Redde*

(a) *Oſe*: 10. 9.

rationem villicationis tuæ , (*a*) ſcilicet qualiter eis uſi ſumus in villicatione, & exercitio vitæ hujus: Quod lucrum de eis fecerimus, quem profectum attulerimus, quàm grati & ſubjecti fuerimus ei: Talentum nobis datum quid lucri demonſtrabimus? An alia quinque, vel duo', vel unum lucrati fuerimus, ut audire poſſimus: *Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti ſidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui*. (*b*) An abſconſum & inutile in terram poſuimus, in terram ſcilicet in hunc mundum, vel in carnem noſtram quæ terra eſt, & digni efficiamur reſponſione illa tremenda judicii Dei: *Serve male & piger &c. inutilem ſervum eiicite in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium*. (*c*) Hinc unicuique iniquo, ait Apoſtolus: *Exiſtimas ò homo qui talia agis, quod tu effugies judicium Dei? An divitias bonitatis & patientiæ & longanimitatis Dei contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?*

(a) *Luc.* 16. 2. (b) *Matt.* 25. 23. (c) *Matt.* 25. 26.

cit? Secundum duritiam autem tuam & impenitens cor tuum, theſaurizas tibi iram in die juſti judicii Dei. (a) *Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione iſta & condemnabunt eam; quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ.* (b)

Ex his eluceſcit quod impiis Chriſtianis, tantò graviùs inſtet judicium, quam cæteris gentibus; quò plura ac majora beneficia deſuper ſunt ſortiti: (c) Idcircò & acerbiora ei, inſtant & infligentur ſupplicia. *Qui legit intelligat, & qui habet aures audiendi audiat:* (d) *Sed non auditores legis, juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur.* (e)

Intelligis ne quæ legis, (f) tu Doctor & legis peritus qui quotidie libros per manus habes? *Si intelligis hæc & ſcis, beatus eris ſi feceris ea.* (g) *O' Domine adauge nobis fidem* (h) ut verbis tuis credamus, intelligamus, ac operibus perficiamus: Qui dicis: *Dilige proximum*

(a) *Rom.* 2. 3. (b) *Matt.* 12. 41. (c) Judicium impiorum Chriſtianorum graviùs quam gentium. (d) *Matt.* 3. 9. & *Jo.* 14. 45. (e) *Rom.* 2. 13. (f) *Act.* 8. 30. (g) *Jo.* 13. 17. (K) *Luc.* 17. 6.

tuum ſicut teipſum &c. hoc fac & vives. (a) Hoc tantùm ſufficit ut vivas in æternum tu legis Doctor & omnes alii homines Chriſtiani, abſque alia interrogatione neceſſaria, ſive ad tentandum, ſive ad ſciendum: *Hoc fac, & vives*: & tibi non erit illud væ à CHRISTO minato: *Væ vobis legis peritis.* (b)

Quantam diligentiam, quantam induſtriam adhibuit CHRISTUS ut filium perditionis converteret, quanta beneficia contulit, quantam humilitatem ut conciliaret affectum & amorem ad ſe, uſque ad ſe inclinandum & lavandum pedes ejus, ſed quis enumerare, & ponderare poterit diligentias & induſtrias exibitas? Sed fruſtrà; etiamſi amicus vocatus in ipſa proditione: *Amice*, inquit, *ad quid veniſti? Filium hominis oſculo tradis?* (c) Surdo hæc omnia. O' durum cor! O' pectus adamantinum! Uti cæpit, invetitum abit, in præceps ruit; Ità Deus quotidie nobiſcum agit, nil non me-

(a) *Luc.* 10. 27. & 29. (b) *Luc.* 11. 46.
(c) *Mat.* 26. 50. & *Luc.* 22. 48.

medicinæ in nobis explorat, ut æternæ morti nos ſubducat. An non crebrò ſatis nos monet? Aures cohortationis pervellit, conſcientiam tacitis afflat inſtinctibus? Ex ipſius catino edimus; nutrit nos; ſed & pedes nobis lavat, væniam delictorum nobis donat, ſuum nobis Corpus ſuumque Sanguinem ad libitum noſtrum in cibum & potum apponit. Nec quotidianos quidem convivas reiicit. In ipſo ſubinde peccato, etſi indignè ſumimus, amantiſſimè monet: *Amice ad quid venisti?* An ideo te creavi, ut me injuriis afficeres? Deſperatis omnibus remediis, tandem refractario dicitur: *Quod facis, fac citius*; (*a*) certa tibi imminet pernicies Sed cave Deum accuſes, aut in alios culpam derives. Tu ipſe tui faber es exitii; peribis quia voluiſti perire. Non eſt quod Judæis multa exprobremus? Simillima facimus, *Iterum crucifigentes filium Dei?* (*b*)

Accedis ad purgationem ad lavacrum, ad Altaris Sacramentum; Corpus & Sanguinem CHRISTI comedens

dens

(a) Jo: 13. 28. (b) *Hebr.* 6. 6.

dens & bibens, in quo eſt vera ſalus; ſed quomodo accedis? quomodo purgatus? cum qua Dei & proximi dilectione, mutatus ab illo, quod priùs feceras advocando contrà proximum, ut pœna puniatur de peccato ſuo? Quomodo eris hodie, non ſicut heri, mutatus? Quomodo *induiſti novum hominem, veterem deſerendo cum actibus ſuis?* (*a*) Non certè, quia peccatum tuum non cognoſcis in hoc, nec pro peccato habes, nec diſplicere intendis Deo & Charitati Dei & proximi dilectioni, & ideo non confiteris, ad pœnitentiam non recurris, non propoſitum deſerendi hoc habes, & accedis ad lavacrum, ad purgationem, ad Sacramentum, injuriam afficiens Deo potiùs quam honorem, indignè ſumens: *Itaque*, proclamat Paulus, *quicumque manducaverit panem hunc, & biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini &c. Qui enim manducat & bibit indignè: judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini:* (*b*) *Voluntariè enim*, idem

(a) *Epheſ.* 4. 22. (b) 1. *Cor.* 11. 27.

idem loquitur Paulus, *peccantibus nobis, poſt acceptam notitiam veritatis; jam non relinquitur pro peccatis hoſtia. Terribilis autem quædam expectatio Judicii, & ignis emulatio, quæ conſumptura eſt adverſarios. Irritam quis faciens legem Moyſi, ſinè ulla miſeratione, duobus vel tribus teſtibus moritur.* (a) *Quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & Spiritus gratiæ contumeliam fecerit?* (b) *Meliùs enim erat illis,* concludit Petrus, *non cognoſcere viam juſtitiæ, quam poſt cognitionem retrorſum converti ab eo quod illis traditum eſt Sancto mandato. Contingit enim illud veteris proverbii: Canis reverſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti.* (c)

De his proclamat Jeremias dicens: *Sapientes ſunt ut faciant mala, bene autem facere neſciunt.* (d) Non eſt culpanda ſcientia, aut quælibet ſimplex rei notitia, inquit Chempis, quæ bona eſt in ſe conſiderata & à Deo ordina-

na-

(a) *Deut.* 17.6. & 19 16. (b) *Hebr.* 10.26.
(c) 2. *Petr.* 2.21. (d) *Jer.* 4. 25.

nata ; ſed præferenda eſt ſemper bona conſcientia & virtuoſa vita. Quia verò plures magis ſtudent ſcire, quam bene vivere; ideo ſæpe errant, & penè nullum vel modicum fructum ferunt. O' ſi tantam adhiberent diligentiam ad extirpanda vitia & virtutes inſerendas, ſicut ad movendas quæſtiones, non fierent tanta mala & ſcandala in populo. Certè adveniente die judicii, non quæreretur à nobis, quid legimus, ſed quid fecimus: nec quàm benè diximus, ſed quàm miſericorditer viximus. Dic mihi ubi ſunt modò omnes illi magiſtri & primarii Advocati in Curiis, Oratores celeberrimi, quos forſan bene noſti, dum adhuc & in ſtudiis veneratione & opinione florerent? Jam eorum bona acquiſita cum Advocatia, vel aliter, alii poſſident, & forſan malè utendo, & neſcio utrum de eis recogitent. (Optimè inquit Apoſtolus: *Habentes autem alimenta & quibus tegamur*, etiam ſtatui, *his contenti ſimus* (a) abſque ſuperfluo aliis relinquen-

(a) 1. Tim. 6. 8.

quendo ; quia jam neceſſitatem patientibus in vita manibus noſtris diſpenſato, ac in Patriam repoſito per manus pauperum nunquam perituro) In vita ſua aliquid videbantur,& modo de illis tacetur. O' quàm citò tranſit gloria mundi; utinam vita eorum cum ſcientia ipſorum concordaſſet, tunc benè ſtuduiſſent & legiſſent. Quàm multi pereunt per vanam Sciëtiam in hoc ſæculo, qui parum curant de ſervitio Dei , de dilectione proximi ſicut ſe ipſos. Verè magnus eſt, qui magnam habet charitatem & miſericordiam. Verè magnus eſt , qui pro nihilo omne culmen honoris ducit. Verè Sapiens & prudens eſt, qui omnia terrena arbitratur ut ſtercora , ut CHRISTUM lucrifaciat. Et verè bene Sapiens Doctor eſt, qui Dei voluntatem facit, & ſuam voluntatem relinquit. (*a*)

Intelligis ne quæ legis tu legis Doctor? Difficile eſt ut intelligas: *Perverſi difficilè corriguntur & ſtultorum inſi-*

(a) *Tho. à Kempis de Imit. Chriſ. l. 1. c. 3.*

finitus eſt numerus, (*a*) quia *Scientia inflat* (*b*) & ideo *contemnit impius cum in profundum venerit peccatorum ; ſed ſequitur eum ignominia.* (*c*) Scientia tua acquiſita mundana ſuperba, non facilè recipit veritatem, niſi illam palliatam tot legalibus ſubtilitatibus ad defenſam erroneitatis contrà facti veritatem. Et quidem quotidie, ſicut inquit Bernardus, perſtrepunt in Palatio leges, id eſt in Curia, ſed Juſtiniani non Domini. Juſtenè etiam iſtud? Tu videris (conſule conſcientiam tuam.) Hæ autem non tam leges, quàm lites ſunt & cavillationes ſubvertentes judicium. (*d*) Et ideo non deficient illis rationes, probationes & jura male interpetrata ſive diſtorta ad propriam defenſionem contrà verbum Domini, *& praceptum lucidum illuminans oculos.* (*e*) *Si quis autem exiſtimat ſcire aliquid,* inquit Paulus, *non dum cognovit quemadmodum oporteat eum ſcire.* (*f*)

Ipſi vitam eorum putant Chriſtianam,

(a) *Eccleſ.* 1. 15. (b) 1. *Cor.* 8. 1. (c) *Prov.* 18. 3. (d) *S. Bern. lib.* 1. *de Conſiderat. c.* 4. (e) *Pſal.* 18 9. (f) 1. *Cor.* 8. 2.

nam, dicentes: *Quid fecimus?* & ideò *non eſt qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo, dicens quid feci?* (*a*) Nonne hoc & illud permittitur? Stultus es qui talia loqueris: Omnes enim qui legem Evangelicam, & nudam veritatem, exercere intendunt, ab hominibus mundialibus, ſtulti vocantur, quia *non conformantur huic ſæculo.*(*b*) Si ſtudet in moralibus quis aſſiduè, ſtultus eſt, dicunt; ſanitatem vult perdere: Si in laboribus aſſiduis propter Deum verſatur, ſtultus eſt, quia infirmitates acquirit: Si aliqua indiſpoſitio, licèt levis illi eſt, & quadragintadiale à carne abſtinet propter legis obſervantiam, ſtultus eſt juxtà ſenſum eorum. *Sed in via ſtultus ambulans, cum ipſe inſipiens ſit, omnes ſtultos exiſtimat.* (*c*) *Et facta eſt veritas in oblivionem, & qui receſſit à malo prædæ patuit.* (*d*)

Item omnia quę agit Sapiens Chriſtianus exercendo virtutes, ſtultitia eſt apud homines mundiales, ſed non apud Deum, cujus legem adimplere non

(a) *Jerem.* 8.6. (b) *Rom.* 12.2. (c) *Eccliſ.* 10.3 (d) *Iſa.* 59.15.

non poſſumus abſque paſſione & tribulatione. Iſti *dicunt videntibus: Loquimini nobis placentia:* (*a*) ſed nos cum Paulo *ità loquimur, non quaſi hominibus placentes, ſed Deo, qui probat corda noſtra* (*b*) In ſapientia enim & voluptate mundiali ſunt qui dicunt:*loquimini nobis placentia*, & non acquieſcunt veritati contrà ſenſum eorum & fallacem intelligentiam ipſorum; & omnia cum rationibus fallaciſſimis probant ad vanam defenſionem, quæ nunquam illis deficit; ſicut declarat illuminatus ille Drexelius, dicens: Nunc omnibus vitiis aptari larva poteſt, uti omnibus vaſculis operculum inveniri. Nil tam abſurdum quod non pingi & defendi poſſit. Omnes contumeliæ ſuos habent prætextus. Omnis injuſtitia ſuum reperit mantelum. Nil tam inexcuſabile quod non ſpecioſo nomine poſſit velari. Sed has larvas & hæc velamina ſupremus Judex detrahet, (*c*) & permanebunt *quoadusque veniet Dominus, qui & illu-*

(a) *Iſa*:30.10. (b) 1.*Theſ*.2.4. (c) *Drexel. in Trib. Chriſt.lib*.2.*c*.3.§.6.

luminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium ; & tunc laus erit unicuique à Deo . (*a*) Laus ſcilicet illi , qui veritatem intellexit , & operibus adimplevit . Ergo ſi ſtultum dicis, qui tecum veritatem loquitur; quia non loquitur tibi placentia: dicam ad juſtitiam : *Judicet Deus inter me & te,* (*b*) quando veniet & illuminabit abſcondita tenebrarum . *Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam ; quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ.* (*c*)

Nunc verò omnia quæcumque de veritate dicuntur, contradictores invenient , ſicut ore CHRISTI probatur: *Venit enim* Joannes *neque manducans neque bibens : & dicunt, dæmonium habet . Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax & potator vini , peccatorum & publicanorum amicus : Et juſtificata eſt ſapientia à filiis hominum .* (*d*) Nota quanta claritate loquitur Dominus : Juſtificata eſt Sa-

(a) 1. *Cor.*4. 5. (b) 1.*Reg.*24.16. (c) *Mat.* 2.41. (d) *Matt.*11.18.

Digitized by Google

ſapientia, ſcilicet mundialis, à filiis hominum mundialibus, qui ſciunt ſe juſtificare de omnibus, licèt injuſtis & peccaminoſis quantumcumque, retorquendo omnia ad ſenſum eorum & voluntatem. *Non enim ſapiunt quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum.* (a) *Ipſi de mundo ſunt, ideo de mundo loquntur, & mundus eos audit.* (b) Ideoque Deus eſt, *convertens ſapientes retrorſum, & ſcientiam eorum ſtultam faciens.* (c) *Væ vobis qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobis metipſis prudentes: Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* (d) *Hæc tua ſapientia & tua ſcientia decepit te; & dixiſti in corde tuo: ego ſum, & præter me non eſt altera.* (e) Sed quando veniet Dominus & *illuminabit abſcondita tenebrarum*, omnes creaturæ admiratæ clamabunt interrogantes: *Ubi eſt litteratus, ubi legis verba ponderans?* (f) Ubi tanta Sapientia pruden-
tia,

(a) *Mat.* 16. 23. (b) 1. Jo: 4. 5. (i) *Iſa*: 44. 25. (d) *Iſa*: 5. 20. (e) *Iſa*: 46. 10. (f) *Iſa*. 33. 18.

Digitized by Google

tia & ſcientia humana ad defenſionem? *Homo cum mortuus fuerit & nudatus atque conſumptus, ubi quæſo eſt?* (a) *Et tranſivi & ecce non erat, & quæſivi eum, & non eſt inventus locus ejus:* (b) Ad nihilum redactus. *Ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus tamquam non fuerimus.* (c) *Tranſivimus tamquam umbra, & tamquam nuncius præcurrens, & tanquam navis quæ pertranſit fluctuantem aquam.* (e) Ergo *vanitas vanitatum & omnia vanitas,* (d) præter ſervire & amare Deum & proximum, ac præceptis ejus obedire. *Vani ſunt omnes homines in quibus non ſubeſt ſcientia Dei: & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, quis eſt; neque operibus attendentes agnoverunt quis eſſet Artifex.* (e) Sed unica voce cum Michea oſtendam tibi ò Homo, quid ſit bonum, & quid facies ut Deo placeas ad ęternam ſalutem capeſſendam: *Indicabo tibi ò homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te: utique facere judicium, & diligere miſericordiam, & ſolicitum ambula-*

(a) *Job.* 14. 10. (b) *Pſal.* 36. 35. (c) *Sap.* 2. 2
(d) *Sap.* 5. 9. (e) *Eccliſ.* 1. 1. (f) *Sap.* 13. 1.

bulare cum Deo tuo. (*a*) Hoc ſuper omnia diſcat homo, inquit Chryſoſtomus, quoniam & hoc eſt homo: Magnum enim homo & pretioſum Vir miſericors. Itaque niſi hoc habeat eſſe deſiit homo. (*b*) *Finem loquendi pariter omnes audiamus*, concludit Eccleſiaſtes, *Deum time & mandata ejus obſerva. Hoc eſt enim omnis homo*. (*c*)

Hoc verò in quotidiano uſu videmus fieri, idem Chryſoſtomus loquitur, Quid? Quotidie enim Sacerdotes clamant in Eccleſia: Qui peccavit, pœnitentiam agat: Peccata tua Eleemoſynis redime: Qui non peccavit permaneat in Deo, ſcilicet in operibus bonis; neque ſeducant vos honores & divitiæ temporales; quia tempus veſtrum propè eſt; & ſi conſumatio veſtra tardaverit, mors veſtra non tardat: Et nemo credit, nemo obaudit: *Anguſtia ſuperveniente requirent pacem & non erit*. (*d*) Cum autem venerit ſuper illos mors, fæſtinant & anxiantur: vocant Sacerdotes, pœniten-

(*a*) *Mich.6.8.* (*b*) *S.Jo:Chryſ.ho.33. ad Pop.* (*c*) *Eccliſ.12.13.* (*d*) *Ezech.7.25.*

tentiam volunt àgere, quando jam pęnitentię locus non eſt. Itaque dum exponunt peccata ſua, dum accipiũt pęnitentię tempus & præcepta juſtitiæ, capitur anima eorum & vadunt vacui, magis autem ligati juſto judicio Dei; quia non propter odium peccatorum diſplicentes ſibi volebant pęnitentiam agere, ſed propter mortis timorem. (*a*) In vita enim *ipſi fuerunt rebelles lumini, neſcierũt vias ejus:* (*b*) *Dedit ei locũ pænitentię*, tota vita peracta, *& ille abuſus eſt eo in ſuperbiã.* (*c*) Adhuc enim ſi vivere potuiſſent, non ſibi diſplicuiſſent. Hortantur ergo prudentes virgines, fatuas ut eant ad venditores olei, ideſt ad pauperes, ſi patitur tempus; ut facientes eis bona juſtitiæ, miſericordiam, conſequantur ab eis; quoniam per miſericordias factas in eos, olei, ideſt miſericordiæ merces acquiritur: Illæ au-

 tem

(a) Timor mortis non amor Dei in articulo mortis conſtituti, adducit eos ad Sacramentum pœnitentiæ; nam ſi non adeſſet mortis periculum, nec eſset confeſſio, & peccatorum ex conſuetudine, frigida deteſtatio: mundialia potius & carnalia continuarent, quam ad conſcientiam redirent.

(b) *Job*. 24. 13. (c) *Job*. 24. 23.

tem dum vadunt ; volentes tunc aliquid boni facere, propter quod poſſint cum fiducia occurrere CHRISTO: venturus eſt CHRISTUS repentè, & clamor factus eſt (clamor ſcilicet in morte, tanto clamore interiore & exteriore) & nihil eis proderit anxietas illa, tunc incipientibus bene agere, quando audiunt: *Ecce Sponſus venit, exite obviam ei*; cum tempus bene agēdi concluditur. *Noviſſimè autem venerunt & reliquæ virgines dicentes: Domine Domine aperi nobis.* (*a*) Nihil prodeſt ex neceſſitate repetita confeſſio ejus, qui ex voluntate nec ſemel confeſſus eſt; nam voluntaria confeſſio, & modica ſufficit Deo: ex neceſſitate autem, neque magna. *At ille reſpondens ait:* Amen *dico vobis, neſcio vos undè ſitis, & clauſa eſt janua*; (*b*) Janua ſcilicet æternæ beatitudinis Beati Dei: Pœnitentia enim ſera, rarò vera, inquit Auguſt.

Memento homo fœnum, & emendationem vitæ (uti facis) ne differ de die in diem, de hebdomade in hebdomadem, de menſe in menſem, de anno

(a) *Mat 25. 1. & ſeq.* (b) S. Jo: *Chryſ. ho: 53. in c. 25. Mat. tom. 2.*

no in annum: ſera nimis eſt, craſtina, incipe hodie. Pars magna ſanitatis eſt, morbum agnoviſſe, & pars magna bonitatis eſt, velle bonum fieri. In morbis peſſimum eſt non habere mali ſenſum. Ecquid miſeriùs miſero, ſeipſum non miſerante? Initium eſt ſalutis notitia peccati: Nam qui peccare ſeneſcit corrigi non vult. Rem tuam age maturè & tempore ſuo non incongruo; *Anguſtia ſuperveniente, quærent pacem & non erit*. (*a*) Mors tua non claudicat, ſed volat, aderitque ſubitò: inſcii rapimur: *Sicut piſces capiuntur hamo, & ſicut aves laqueo, ſic capiuntur homines in tempore malo*, ſcilicet mortis, *cum eis extemplò ſupervenerit*. (*b*) Ideoque craſtinam diem ſuſpectam habe, & nunc dole, nunc emenda. Hoc eſt, inquit Auguſtinus, quod multos in exitium trahit, cum dicũt: CRAS, CRAS, & ſubitò clauditur oſtium; dies enim craſtina, noſtra non eſt, ſed hodierna: *Ecce nunc tempus acceptabile*, inquit Paulus, nunc dicit, hac die, hac hora, hoc momento, non dicit poſtea, cras vel

(a) Ezech. 7. 25. (b) Eccliſ. 9. 12.

vel in futurum, vult etiam ſe eſſe in repetitione, ut meliùs audiatur: ſequitur: *Ecce nunc dies ſalutis*. (*a*) Si vis, nunc dies ſalutis eſt; quia ſi vis cras, non poteris perficere craſtinam voluntatem tuam, quia *tempus non erit amplius*. (*b*) *Quærite Dominum dum inveniri poteſt, invocate eum dum propè eſt*, (*c*) ſcilicet nunc in preſenti vita: Nunc dum tempus eſt, agat animam pro ſe, inquit Auguſtinus, quandiù locus eſt miſericordiæ, quia poſtmodum erit locus juſtitiæ. (*d*) Memento mori, & diſces mori. *Qui legit intelligat*: (*e*) *& qui habet aures audiendi audiat*. (*f*)

Sed unam hic velim ſalutis tuæ remoram tollas mi homo, & ſiquidem ſeriò bonus eſſe vis: Obſecro te ne tardè velis, ne differas, ne procraſtines. Fatuæ Virgines quid à Cœli foribus excluſerit, non ignoras, jam diximus ex Chryſoſtomo: Diſtulerunt, dormitarunt, horam ex hora traxerunt; non malum erat conſilium illarum, ſed ni-

(a) 2. Cor. 6. 2. (b) *Apoc*. 10. 6. (c) *Iſa*. 55. 6. (d) *S. Aug. ad Cor. 6. Sæcularia Judicia &c.* (e) *Matt*. 24. 15. (f) Jo: 14. 35.

nimis tardum : ità pleroſque cernes perire, qui mores emendare cogitant, ſed nondum: vitiorum illecebras abdicare, ſed nondum: Divina & æterna ſapere ſed nondum : ſervire Deo, priùs tamen diabolo & mundo, carnique indulgere. Ità non tantùm in antiquam, ſed in infinitam ſylvam itur & reditur: & pleriſque agitur vita per luſum; dum mors occurrat improviſa, & ſubitò proſcindat longiſſimam procraſtinationis telam. Hiſtoriam prophanam conſulis? Hoc ipſum te docet.

O' Alexander Macedo ubi es? Cujus illud innotuit: Victorem fuiſſe, *nihil differendo*. O Chriſtiane ſaltem diſce à gentilibus, ut illud innoteſcat, victorem eſſe diaboli, nihil differendo in lite quam cum illo habes: de æterna vita lis eſt, aut de æterna morte: Hanc litem vinces, non differendo bonum. Totus conatus diaboli, tota induſtria, tota politica, totum conſilium & cauſæ regimen in hoc conſiſtit, ut differas & victus evadas, perdaſque hanc litem, ſcilicet vitam æternam, quam nunc cum illo litigas. *Non conſentias*

igitur *inimico tuo*, contrario tuo, inſidiatori tuo *in æternum*: (*a*) Quia de æterna vita res eſt, aut de æterna morte. *Apprehende ergo vitam æternam*, (*b*) non differendo bonum omne quod patrare potes omni momento vitæ tuæ, omni occaſione arrepta operandi bonum. Sed quod bonum? Audi gentium Apoſtolum proclamantem: *Omnis amaritudo & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia tollatur à vobis*, quæ omnia in litigiis curialibus habentur: Hæc eſt prima tabula juſtitiæ: *Declinare à malo*; ſed quia hoc tantùm non ſufficit; oportet etiam *facere bonũ*: & ideo hęc ſecunda tabula juſtitiæ nobis neceſſaria eſt, *ut inhabitemus in ſæculum ſæculi*, (*c*) ſtatim ſubjungit: *Eſtote autem invicem benigni, miſericordes, donantes invicem, ſicut & Deus in CHRISTO donavit vobis*. (*d*) Et paucis verbis hanc operationem boni concludit etiam obſecrando non ſolùm Epheſios, verumetiam omnes Chriſtianos: *Obſecro vos*, inquit, *ut dignè ambuletis vocatione qua vocati*

eſtis,

(a) *Ecc*.12.10. (b) 1.*Tim*.6.7. (c) *Pſ*.36.27. (d) *Eph*.4.31.

eſtis, ſcilicet vocatione pacis per Evangelium pacis in baptiſmo obſervare promiſſum, *cum omni humilitate & manſuetudine cum patientia, ſupportantes invicem in charitate: ſoliciti* (*a*) *ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis*; (*b*) & in ea quę ſunt pacis cum proximo fratre noſtro & charitatis, nihil agere procraſtinando in ly quod dicit, *ſoliciti*, ſed ſtatim & aſſiduè occaſione arrepta operandi bonum ad omnes, ut apprehendamus vitam æternam, ut molimenta diaboli non avertant nos à bono nunc faciendo; quia in craſtino, *tempus non erit amplius* (*c*) faciendi bonum. Hanc procraſtinationem cupit diabolus: Scit enim inſtare nobis mortem omni hora, omni momento in quo ſperat litem vincere & ad æternam mortem ducere. Tu ergo nunc *miſerere animæ tuæ placens Deo*, (*d*) non diabolo; & hoc ipſo ſanctiùs te moriturum crede, quo citiùs ad mortem te compoſueris: *Feſtina tempus & memen-*

(a) Nota ly *ſoliciti*, ideſt ſinè negligentia & procraſtinatione. (b) *Epheſ.* 4. 1. & 6. 16. (c) *Apoc.* 10. 6. (d) *Ecc.* 30. 24.

mento finis. (*a*) Cum vita tam brevis & contracta, mors tam incerta ſit, temerarium prorſus & fatuum eſt in negocio æternæ ſalutis tam periculoſo, differre, cunctari, procraſtinare. Ah miſeri homines de beata vita in conſpectu mortis agitis, & ſæpe cum jam jam migrandum eſt; Nunc primum quo migrandum ſit quęritis. Aurem tibi jam ſæpius villicavimus: *Memento mori*: Memento ò nimium oblivioſe homo. Mille tibi horæ ſi parcant, una ſternet; & ea quidem quam tu nunc minimè ſuſpectam habes. Ubique mors eſt: ab homine, fera, domo, tegula, arbore, aqua, vento, aura, herba, cibo, potu, & quid excipiam? An non hoc ipſum tibi accidere poteſt, qui eam non cogitas? *Diſpone domui tuæ quia morieris*, (*b*) ſcilicet animæ tuæ; & à rebus humanis toto alio Orbe diſjungeris. Et quàm ſeriò CHRISTUS Dominus præmonuit: *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris; & vos ſimiles expectantibus Dominum ſuum quando revertatur à nuptijs.*

(a) *Ecc.* 36.10. (b) *Iſa*: 38.1.

ptijs. (*a*) *Neſcitis enim diem neque horam*: (*b*) *Qui legit intelligat*: *& qui habet aures audiendi audiat.*

Hoc in epilogo Spiritusſanctus loquitur tibi & omnibus: *Antè judicium præpara juſtitiam &c. Antè languorem adhibe medicinam*: *& antè judicium interroga te ipſum*, *& in conſpectu Dei invenies propitiationem*, (*c*) propitiationē ſcilicet miſericordiam ad æternam vitam capeſſendam. O' ÆTERNITAS ÆTERNITAS! Quàm ſæpe turpiter peccamus, quia te vix unquam ſeriò cogitamus! O' ÆTERNITAS! Aut in deliciis inter Angelos, aut in ſuppliciis inter diabolos ducenda, & nunquam finienda! Attende mi homo, horum, an illorum amicitiam nunc ambias. Et hoc ſcito, tum denique te fore Angelis amicum, cum tu fueris Pacis, Miſericordiæ, & proximi dilectionis amicus: *Appoſuit Deus aquam & ignem*: *ad quod volueris porrige manum tuam*: *Antè hominem vita & mors, bonum & malum*: *quod placuerit ei dabitur il-*

 li:

(a) *Luc.* 12. 35. (b) *Matt.* 25. 14. (c) *Ecc.* 18. 19.

li: (*a*) Si placuerit tibi malum, certè in æternum malum ibis, ibique ſemper litigabis æternè, blaſphemabis, invidiam, malamque voluntatem exercebis: Si placuerit bonum, & nunc hanc pacem & proximi dilectionem exercueris, in pace & dilectione Dei & Angelorum permanebis æternè; ergo: *Appræhende vitam æternam*. (*b*) Credis in hoc? Si credis fide viva, intelliges & operibus perficies; quia fides dicitur à facto: Si non credis, certè non intelliges, nec operibus perficies. Si non credis dico, ſcilicet fide frigida, fide mortua, non intelliges veritatem quæ à Deo eſt; etiamſi intelligas & audias auribus exterioribus corporis; non autem interioribus cordis. *O Domine adjuva incredulitatem noſtram*. (*c*) *O Domine adauge nobis fidem.* (*d*) Adauge fidem obſcuratam à temporalium rerum concupiſcentia, ab amore proprio carnali, ut æterna intelligamus, concupiſcamus & operibus perficiamus, ad æternam pacem Angelorum, &

(a) *Ecc.*15.14. *Jerem.*21.8. (b) 1.*Tim.*6.7.
(c) *Marc.*9.23. (d) *Luc.*17.6.

& Beati Dei beatitudinem capeſſendam. Ad capeſſendam Æternam Beatitudinem, ſciant omnes homines Chriſtiani hoc tantùm ſufficere, ſcilicet proximi dilectionem habere ſicut nos ipſos. Hoc ſignum Prædeſtinationis in homine, quia *ex Deo natus eſt & Deum cognoſcit*; è contra verò, qui non diligit proximum, nec Deum diligit & nec Deum cognoſcit. Putaſne litigantes cognoſcere Deum; Cum in proximi amore & dilectione non ſint? Qui diligit proximum ſicut ſe ipſum, non vexat illum litigando in curiis, nec juſtè, nec injuſtè; quia nec juſtè, nec injuſtè vellet ab alio cum litigio conſtringi atque vexari: Ergo litigantes cum in hac dilectione non ſint, Deum non cognoſcunt, licèt ore tantùm dicant cognoſcere. (*a*) Dicta probantur ex Evangeliſta; Veritatem demonſtrans Dilectus dicens: *Omnis qui diligit ex Deo natus eſt, & cognoſcit Deum: Qui non diligit non novit Deum,* (*b*) *& qui non diligit manet in morte* (*c*) ſcilicet æterna, li-

(*a*) Litigantes Deum non cognoſcunt.
(b) 1. *Jo*: 4. 8. (c) 1. *Jo*: 3. 14.

Digitized by Google

licèt vivus appareat.

Quomodo intelligis hoc auribus cordis ò injuſtè litigans pro vili re temporali, deditus curis & lucris hujus ſæculi? Cui non Chriſtiani, ſed publicani convenit nomen: Publicani enim dicuntur qui ſæculi ſectantur lucra. Subaudis ne quæ dicit Dominus, & Sancti ejus dilecti & electi declarant. *Quàm lucidum Verbum Dei; ſicut lucerna pedibus tuis, & lumen ſemitis tuis!* (*a*) Et tamen cęcus & ſurdus permanes in tanta claritate Divina: *Non enim alia ſcribimus vobis, quàm quæ legiſtis & cognoviſtis.* (*b*) *Sed attendite lectioni, exortationi, & doctrinæ*; (*c*) & iterum *Scrutamini Scripturas, quia illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent.* (*d*) *Sermo totus Veritas eſt.* (*e*) Lege Bernardum, perlege, relege: cognoſcite iterum, & intelligite veritatem, quæ à Deo eſt, & à tanto Sancto Doctore proclamatam. Loquitur Spiritusſanctus per os Sanctorum. *Spiritusſancto inſpirati, locuti ſunt Sancti Dei homines.* (*f*) Quid? *Audite & intelligi-*

(a) Pſ. 118. 105. (b) 2. *Cor.* 1. 13. (c) 1. *Tim.* 4. 13. (d) Jo: 5. 39. (e) Jo: 17. 18. (f) 2. *Pet.* 1. 21.

ligite. (*a*) Quæsò te, inquit, quale eſt illud, de mane uſque ad veſperam litigare, (*b*) aut litigantes audire? Et utinam ſufficeret diei malitia ſua: Non ſunt liberæ noctes. Vix derelinquitur neceſſitati naturæ, quod corpuſculi pauſationi ſufficiat; & rurſus ad jurgia ſurgitur. Dies diei eructat lites, & nox nocti indicat malitiam, uſqueadeo non eſt reſpirare in bonis, non eſt alternam capeſſere requiem, non vel rara interſeri otia. Non ambigo te quoque iſta deplorare (hoc eſt lumen & lucerna) at fruſtrà iſtud, ſi non & emendare ſtudueris. (*c*) Hæc Bernardus non ſolùm contrà litigantes objurgat, ſed & etiam ad Optimates; *Qui cum juſtitiam Dei cognoviſſent, non intellexerunt: quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte; non ſolùm qui ea faciunt; ſed etiam qui conſentiunt facientibus*, (*d*) ſi non emendare ſtuduerint. *Induite ergo novũ hominem, veterẽ deſerendo cum actibus ſuis*. (*e*)

No-

(a) *Matt.* 15. 10. (b) Aurea & admodum vera ſententia Sancti Bernardi, notatu digna.
(c) *S. Bern. de conſider. ad Eugen. Pont. Max. lib.* 1. *c.* 3. (d) *Rom.* 1. 25 & 32. (e) *Coloſſ.* 3. 9. & *Epheſ.* 4. 22.

Novate vobis novale , & nolite ſerere ſuper ſpinas. (*a*) *Timete Deum & date illi honorem , quia venit hora judicij ejus.* (*b*) Quid ergo moraris ad emendandam vitam tuam ? Forſan ultimum tempus vitæ tuæ expectas. quando tempus faciendi dignos fructus pœnitentiæ non eſt ? *Facite* , fratres dilectiſſimi,nunc , *dignos fructus pœnitentiæ* : *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis,& contenti eſtote ſtipendijs veſtris* : (*c*) Stipendiis, ſcilicet, quæ Dei providentia donata ſunt vobis bona temporalia , & poſſidetis : non procurando poſſidere ſuperflua ea quæ non habetis : licèt civili jure debeantur, quia Dei ſunt,non veſtra : Ipſe dicit : *Mea ſunt omnia* . (*d*) Quid concuteris & defluis , qui debes aſſiſtere Divino judicio,& reddere rationem de omnibus hic operatis? Ibi *de omni verbo otioſo reddituri eſtis rationem in die judicij*: (*e*) Ibi,*Univerſæ juſtitiæ noſtræ quaſi pannus menſtruatæ*.(*f*) Ibi *ſi Juſtus vix ſalvabitur:impius & peccator ubi* pa-

(a) *Jerem*.4. 3. (b) *Apoc*.14.7. (c) *Luc*.3. 14. (d) *Exod*.13.3. & *Jo*:16. 15. (e) *Matt*. 12.36. (f) *Iſa*.64. 6.

Digitized by Google

parebunt?(*a*)Quid erit litigantibus præcepto Dei de proximi dilectione controvenientibus? Deus ſcit, & ipſi tunc vident. *Si Deus Angelis peccantibus, & originali mundo non pepercit, diluvium mundo impiorum inducens: & Civitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redigens, emerſione damnavit; exemplum eorum qui impiè acturi ſunt, ponens.*(*b*)*Ecce hæc ex parte dicta ſunt viarum ejus,* ideſt operum ejus, *& cum vix parvam ſtillam ſermonum ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis ejus intueri?*(*c*) Ergo *Qui legit intelligat;*(*d*)*& qui habet aures audiendi audiat,* (*e*) & operibus perficiat, ut dignus efficiatur promiſſionibus CHRISTI. Ne quod abſit, tunc *dicant montibus: cadite ſuper nos, & cooperite nos.* (*f*) *Fugite ergo à facie gladij, quia ultor iniquitatis gladius eſt, & ſcitote eſſe judicium.* (g) Nemo effugiet hoc judicium, Paulina tuba proclamat: *Omnes nos manifeſtari oportet* ante Tribunal CHRISTI, *ut referat unuſquiſ-*

que

(a) 1.*Petr*.4.18. (b) 2.*Petr*.2.4 (c) *Job*.26. 14. (d) *Mar*.13.14. (e) *Mat*. 13.9. (f) *Oſe*.10.9. (g) *Job*: 10. 29.

que propria corporis prout geſſit, ſive bonum ſive malum. (*a*) Pertimeſcite judicium, fratres in Chriſto JESU, quia nullus, nullus certè poſt mortem effugiet Tribunal aut Judicem: Nunc cogita judicium in quo neceſſariò te oportet ſiſtere & judicari, etiam de omni verbo otioſo reddere rationem. *Viri mali*, inquit Spiritusſanctus, *non cogitant judicium.* (*b*) Si non cogitas, tene certum te eſſe virum malum coràm Deo, Angelis & hominibus juſtis. Talem mihi da, & videbis quàm is, vel ab ipſis Idolatris longè ſuperetur: Da inquam talem, & dices: Hic homo non inſiſtit viam, quæ ducat ad Cœlum: conrixando, litigando; nunc jocando, ridendo cachinnando, totos dies traducit, ſecurus mortis, & poſt illam ſecuturi judicii. Tranſacto die cœnat idem hilariter, cœnam confabulatio, cōfabulationem ſomnus excipit: Hunc ille ordinem, hunc diei methodum (*c*)
ſer-

(a) 2.*Cor.*5.10. (b) *Prov.*28.5. (c) Error hominum, qui putant licitum quod faciunt, ſed irreparabile damnum; quia incognitum, niſi convertantur per meliorem vitam, quæ demonſtratur.

ſervat; *Væ vobis*, inquit Dominus, *qui habetis conſolationem veſtram: Væ vobis qui ſaturati eſtis, quia eſurietis: Vę vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis*. (*a*) Sciant ergo, quod *per multas tribulationes oportet intrare in Regnum Dei.* (*b*) *Paſſiones, & poſteriores glorias.* (*c*)

O' curæ in terris animæ, & Cæleſtium inanes! (*d*)

Gentilis admiratio ad confuſionem Chriſtiani.

O mi homo Chriſtiane, quid demum habes, quod hic obducas? Sanctiſſimos illos viros eremi Angelos, Antonios, Paulos, Hilariones, Honuphrios imitari non vis? Saltem gentiles Mundi: Senecam, Pythagoram, Heraclium, Diogenem, alioſque ſimiles, in virtutibus moralibus te meliores eſſe non ſinas. Et quæ tuæ occupationes tantæ, ut hoc non poſſis, quod potuerunt occupatiſſimi? Priſcis illis perſuaſiſſimum fuit, diem peſſimè finiri, niſi ſic finiretur abſque virtutis exercitio: penè periiſſe ſibi cenſebant

diu-

(a) *Luc.* 6. 24. (b) *Act.* 14. 21.
(c) 1. *Pet.* 1. 11 (d) *Perſ. Sat.* 2.

diuturnas horas, quæ non haberent hanc diei clauſulam, hoc ſomni proludium. Nimirum hinc maximum ad probos mores emolumentum capiebant, hanc unam ad virtutem viam compendioſiſſimam credebant, in hoc continue tranquillitatis portu perſiſtebant. Titus Imperator, ſolitus dicere cum ſodalibus ſerò cœnando: *Diem perdidi ſodales*, quando trutinabat conſcientiam, & ab ipſa habebat proclamatum, nil boni aut beneficentiæ in aliis, illa die patraſſe. (*a*)

Ecquid enim pulchriùs ſimul& utiliùs hac conſuetudine excutiendi totum diem conſcientiam? Qualis ille ſomnus poſt recognitionem ſui ſequitur? Quàm tranquillus, altus, ac liber; cum aut laudatus eſt animus, aut admonitus, & ſpeculator ſui cenſorque ſecretus cognoſcit de moribus ſuis? Detumeſcit ſenſim ſuperbia; (*b*) mens avara ſe latiùs expandet, libido frenum recipiet, litigium effugiet, miteſcet

ira,

(a) Conſcientia in diem ſcrutanda.
(b) Omnia vitia excutiuntur, & caventur, in diem ſcrutando conſcientiam.

ira, eritque moderatior: Omnia vitia minùs ſibi licere credent, ſi ſciverint ſibi ad Judicem quotidie eſſe veniendum. Ad hanc animi deſtinationem facit, diſquirere ſecum, peracto jam die: quo loco: qua ſocietate: quibus occaſionibus ad noxas priores committendas ſit inductus, & has conſtanter evitare, conatu generoſiſſimo inſiſtat. Id ſi quotidie, inquit Chryſoſtomus, diligenter facies, terribili futuri judicii tribunali lœtus aſſiſtes. (*a*) Hoc modo Paulus ſeipſum mundavit; ac ideò dicebat: *Si nos metipſos dijudicaremus, non utique judicaremur*. (*b*)

Fratres in Chriſto JESU dilectiſſimi. *Ecce tempus acceptabile*: *Ecce nunc dies ſalutis*. (*c*) *Fili*, loquitur Spiritusſanctus ut Pater filio, *conſerva tempus*, *&* *devita à malo*: (*d*) Dominus enim dicit: *Cum accepero tempus, ego juſtitias judicabo*. (*e*) *O temporis jacturam inrevocabilem!* Quanti horulam emerent, vel unicam ad Inferos dejecti? Et nos tot ho-

(a) S. Jo: Chriſ. ho. 43. in c. 12. Mat.
(b) 1. Cor. 11. 21. (c) 2. Cor. 6. 2. (d) Ecc. 4. 23.
(e) Pſ. 74. 2.

horas optimas, prodigentia peſſima perdimus magis quam vivimus: Bernardi querela eſt æquiſſima: Tempore nihil eſſe pretioſiùs, ſed eo nihil aut viliùs haberi, aut peiùs expendi. Tranſeunt, inquit, dies ſalutis, & nemo recogitat: nemo ſibi non reddituta momenta, periiſſe cauſatur. Cum revera tamen diſpendium temporis, vel modicum, damnum ſit graviſſimum, damnum inreparabile, nec ullo auro reconcinnandum. (*a*)

Thomas Morus ille Martyrũ æmulus & Angliæ gemma, literis & pietate clariſſimus vir, dicere ſolebat: Quàm plurimos in hac vita eo labore Infernum mercari, (*b*) cujus vel dimidio Cœlum lucrati fuiſſent. O Temporis jacturam inrevocabilem! quæ in litigiis curialibus expenditur. His aptari poteſt quod ipſe Morus illi mulieri, quæ temporis jacturam faciebat ſe luxuriosè componendo: Niſi Deus vobis

(a) Temporis prætioſitas jactura peſſima & inrevocabilis. (b) Magno labore mercatur Infernum: modico labore omiſſo ad Cęlum mercandum.

bis injuſtè litigantibus continuè, & ad pacem non revertentibus, pro hoc tanto labore Infernum reddat, magnam vobis profectò injuriam faciet. (*a*) Putaſne, inquit Bernardus, (*b*) quod hominibus litigantibus pro terrena hæreditate, & flagitantibus, abſit judicium? (*c*) Haud certè. Ità eſt: Hi tales labores malo otio pejores ſunt; nam & temporis pretium auferunt, & peſtem afferunt non unius vitii. Ad hæc omnia evitanda monet Siracides: *Feſtina tempus, & memento finis*. (*d*)

Memor eſto quoniam mors non tardat; & teſtamentum Inferorum, quia demonſtratum eſt tibi: teſtamentum enim hujus mundi morte morietur. Antè mortem benefac amico tuo, ideſt proximo tuo, *& ſecundum vires tuas exporrigens da pauperi. Non defrauderis à die bono*, ſcilicet à die hujus vitæ, qui dicitur bonus propter temporis prætioſitatem operandi bonum, *& particula boni diei non te prætereat;*

(a) *Stapleton. in Vit. Mori c.* 12. (b) Aurea ſententia D. Bernardi contra litigantes.
(c) *S. Bern. de conſiderat. ad Eugen. Pontiſ. Max. lib.* 1. *c.* 6. (d) *Ecc.* 36. 10.

reat; nota ly particula, ulla particula diei non prætereat abſque operatione boni ad æternam ſalutem capeſſendam: *Nonne alijs relinques dolores & labores tuos in diviſione ſortis?* labores & dolores, qui patiuntur pro cumulandis bonis, pro lucro temporali vano & caduco, *diviſione ſortis*, ſcilicet quando commutabuntur vices temporalium rerum cum æternis. *Da ergo & accipe, & juſtifica animam tuam*. Da ſcilicet pauperi, & accipe à Deo centuplicatam retributionem cum juſtificatione animæ tuæ; quia Eleemoſyna juſtitia vocatur, & conſtituit hominem in ſtatu juſtitiæ coràm Deo; & juſtitia tua manet in ſæculum ſæculi. *Antè obitum tuum operare juſtitiam, quia non eſt apud inferos invenire cibum*. (*a*)

Salomon ad miraculum ornatus, purpura & diademate in Regem cultus, Speculum à Servatore propoſitū, interrogat: Quid de ſe illud ſentiat? Nam Dominus nos ad flores ablegans: *Conſiderate* ait, *lilia agri quomodo creſcunt. Dico autem vobis, quoniam nec Sa-*

lo-

(a) Ecc. 14. 12.

lomon in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut unum ex iſtis. (*a*) Hoc ſpeculum allocutus Salomon: *O vanitas vanitatum, & omnia vanitas!*(*b*)Quid corpus animi ſepulchrum ornamus fruſtrà, ſi omni ornatu noſtro, nec quidem lilium pedibus calcandum æquamus. Quid faſtu inani efferimus, ſi à floribus ſuperamur? Faceſſat igitur vanus corporis cultus, qui magis eſt probro, quam ornamento. Animi decor, innocentia ſive juſtitia.

Audi ab eo plura quæ vidit in hoc ſpeculo vanitatum: *Magnificavi,* inquit, *opera mea, ędificavi domos & plantavi vineas &c. Coacervavi mihi argentum & aurum, & ſubſtantias Regum & provinciarum &c. Cumque me convertiſſem ad univerſa opera quæ fecerant manus meæ, & ad labores in quibus fruſtrà deſudaveram: vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere ſub Sole.*(*c*) Vis luculentiora & clariora? Ecce ipſemet proclamat: *Si annis multis vixerit homo, & in his omnimbus lętatus fuerit, meminiſſe debet tenebroſi temporis, &* dic-

(a) *Mat.*6.28. (b) *Ecclſ.*1.1. (c) *Ecclſ.* 2.per tot.

dierum multorum, qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita: (*a*) tenebroſi temporis, ſcilicet mortis; dierum multorum, ſcilicet æternitatis. Inſuper: *Quid habet ampliùs Sapiens à ſtulto? Et quid pauper, niſi pergat illuc ubi eſt vita?* (*b*) ſcilicet æterna, quæ cum innocentia & juſtitia, quæ eſt Eleemoſyna conſequitur poſt mortem hujus miſerabilis vitæ fugacis, quæ potiùs mors eſt continua & repetita, quam vita.

Audi Auguſtinum, & ſi tanto Doctori fidem non præſtas, experimento proba: Vita hæc, inquit, vita miſera, vita caduca, vita incerta, vita laborioſa, vita immunda, vita domina malorum, regina ſuperborum, plena miſeriis & erroribus, quæ non eſt vita dicenda ſed mors; in qua momentis ſingulis morimur per varios mutabilitatis defectus, diverſis generibus mortium. Numquid ergo hoc quod vivimus in hoc mundo, dicere poſſumus vitam, quam humores tumidant, dolores extenuant & ardores exiccant, arida morbidant, eſcæ inflant, jejunia ma-

(a) *Eccliſ.* 11.8. (b) *Eccliſ.* 6. *per tot.*

macerant, joci diſſolvunt, triſtitiæ conſumunt, ſolicitudo coarctat, ſecuritas hebetat, divitiæ inflant & jactant, paupertas deiicit, juventus extollit, ſenectus incurvat, infirmitas frangit, mœror deprimit? Et his malis omnibus mors furibunda ſuccedit; ſimulque cunctis gaudiis iſtius miſeræ vitę, ita finem imponit, ut cum eſſe deſierit, non fuiſſe putetur. (*a*) *Exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ*, ſed ſtultè dicunt impii, quod *non eſt refrigerium in fine hominis*: (*b*) ſed refrigerium ſperant homines in fine vitæ hujus laborioſæ, pacem & quietem ſempiternam, ſicut ſcriptum eſt: *Paſſiones & poſteriores glorias*. (*c*) Laborant nunc in vita fugaci & laborioſa, *ut requieſcant à laboribus ſuis* (*d*) in alia vita æterna & beata: *Scientes quod labor preſens non eſt inanis in Domino*. (*e*)

Tria maximè ſolent homines affectare: Opes: Voluptates: Honores. De opibus prava, de voluptatibus turpia, de honoribus vana procedunt:

I Hęc

(a) *S. Auguſt. meditat. c. 21.* (b) *Sap. 2. 1.* (c) *1. Petr. 1. 11.* (d) *Apoc. 14. 13.* (e) *1. Cor. 15. 58.*

Digitized by Google

Hęc omnia ſinè labore & animi afflictione non ſunt. Hinc enim Joannes Apoſtolus ait: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt: quia quicquid eſt in mundo concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* (*a*) Concupiſcentia carnis, ad voluptates: Concupiſcentia oculorum, ad opes: Superbia vitæ pertinet ad honores. Opes generant cupiditatem, inquit Innocentius, concupiſcentiam & avaritiam: voluptates pariunt gulam & luxuriam, quia proxima ſunt venter & genitalia: Honores nutriunt ſuperbiam. (*b*) *Homo cum in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt jumentis inſipientibus: & ſimilis factus eſt illis.* (*c*)

Quomodo pacatè & ſecurè dormit homo qui conſcientiam habet maculatam, (*d*) ſcięns quod poteſt de facili mors furibunda venire antèquam elucęſcat? *Non alia ſcribimus vobis, quàm quæ legiſtis & cognoviſtis*: (*e*) Neque enim Ambroſios aut Auguſtinos, vel

An-

(a) 1. Jo. 2. 15. (b) *S. Innocen. 3. de content. Mund. lib. 2. c. 1.* (c) *Pſ. 48. 21.* (d) Conſcientiæ vermis continuo mordet cor hominis. (e) *2. Cor. 1. 13.*

Angelicos aut Gregorios ingentia volumina volumus legenda: Libellus brevis hic, nec lectoris faſtidium obruit, & virtutum radices quotidianis incrementis erigit. Et quæsò quodnam cervical, quinam pulvilli ſunt iſti, quęnam hæ culcitræ, quæ hominem poſt contractam, nec prius deletam læthalem culpam, ſecurum jubeant ſomnum ducere, niſi extrema ſalutis incuria, Cœli oblivio, inferorum irriſio, mortis incogitantia, impia denique vitæ ſecuritas, & Numinis contemptus?

Hæ ſunt illæ culcitræ, hi pulvilli, quibus indormiunt, qui conſcientia per diem læſa, nec per nocturnam pœnitentiam ſanata, plumis ſeſe immerſos ſepeliunt, & ſoporem in altiſſimam lucem deducunt. At hoc cum Deo ludere eſt, & Cœlo per jocum vale dicere: Neque tamen interea talis à conſcientiæ ſtimulis liber aget: Abundat enim ſibi locuplex teſtis conſcientia, (*a*) inquit Ambroſius; nam etſi clauſis parietibus ſit & coopertus tenebris,

(a) Conſcientia propria proclamat omnia peccata hominis, etſi omnes taceant.

bris, ſinè teſte, ſinè conſcio: habet tamen facti arbitrum quem nihil fallat; ad quem facta clamant omnia: denique *clamavit & vox ſanguinis.* (*a*) Seipſum unuſquiſque ſeverum Judicem, ſui ultorem ſceleris & vindicem criminis habet. (*b*) Recurſabunt ſubinde domeſtici teſtes, & à ſuis conſcientiæ furiis infeſtabitur, quibus quidem ſe ſubducere, eas tamen nunquam poterit omninò effugere; niſi per unicum, & ſummè neceſſarium hoc: *Conſcientię cenſuram.* Et ò felicem illum, qui eam ſic tractat quotidie, ut nec aliorum elogia deſideret, nec monitis egeat aut reprehenſionibus; dum eam factis, mereri laudem conatur, quam etſi ab aliis non impetret, à conſcientia tamen nunquam non obtineat; & dum ijs ſeipſum objurgationibus urget, quas etſi ab aliis non audiat; hæ tamen occultæ ad emendationem ſufficiant.

In omne quod dicitur, inquit Gregorius, ſemper tacitè recurrere debemus ad mentem & interiorem teſtem & Ju-

(a) *Geneſ. 4. 10.* (b) *S. Ambroſ. in Ep: ad Conſtantium.*

& Judicem requirere. Quid enim prodeſt (*a*) ſi omnes laudent, & conſcientia accuſet? Aut poterit obeſſe: ſi omnes derogent, & ſola conſcientia defendat? (*b*) Divinus Vates Jeremias, modum examinis hujus inſtituendi, breviſſimo effatu docens: *Statue*, inquit, *tibi ſpeculam: pone tibi amaritudines: dirige cor tuum in viam rectam.* (*c*) Tribus modis nos inſtruit: *Statue tibi ſpeculam*, ideſt exquire & trutinare conſciẽtiam: & ex hoc tranſire ad ponendas nobis *amaritudines*, ſcilicet dolorem peccatorum quæ conſcientia demonſtrat, ac pœnitentiam; & poſt declinationem à malo, facere bonum, in eo quod dicit: *Dirige cor tuum in viam rectam*: Non poſſumus enim facere bonum, niſi priùs declinemus à malo, exquirendo conſcientiam ut à malo purgemus animam noſtram.

Gloria noſtra hæc eſt, inquit Paulus, *teſtimonium conſcientiæ noſtræ*, (*d*) quod fortes reddit ut cum pace mortem to-

 le-

(a) Si omnes laudant nihil prodeſt quando Conſcientia accuſat. (b) *S. Greg. ſuper Ezec. hom. 9.* (c) *Jerem. 31. 21.* (d) *2. Cor. 1. 12.*

Digitized by Google

Ieremus, ſi in trutinanda conſcientia nobiſcum hoc diſquirimus: *Quid feci?* Quæſtionē hanc ſequatur altera. *Quid cogitavi?* Imò etiam quærendum: *Quid non feci?* Quid omiſi, quid neglexi faciendum? Ubi his noſtram conſcientiam interrogamus, audiamus & taceamus; attendamus quid illa reſpondeat. Conſcientia, natura ſua, tam eſt facunda & impatiens ſilentii, ut juſſa dicere, mox quidem ſciverit, eloquatur.

Ubi jam cæteri errores per diem & lapſus: Ego quidem exiſtimo, inquit Sanctus homo illuminatus ille Drexelius, noxas quotidianas pleraſque omnes, hoc breviſſimo indiculo contineri. En illum.

(In precibus & re Divina,)
Qualis (In occupationibus) fuiſti
(In verbis & ſermone,)
(In menſa.)

Qualis etiam fuiſti litigando exquire: Annon odium: Annon rixam. Annon vindictam deſideraſti? Annon immiſericordiam aliaque peccata habuiſti? An proximi dilectionem tenuiſti? An

con-

Digitized by Google

contrario tuo vexanti te injuſtè, pepercîſti? An nihil hodie temporis perdidiſti? *O temporis jacturam inrevocabilem!* An nulli detraxiſti, neminem offendiſti? An nunquam iratus, nunquam impatiens extitiſti? An quod heri ſtatueras tibi faciendum aut cavendum, feciſti hodie aut caviſti? Si quæ graviora ſunt rixarum, litigiorum, injuſtitiæ, avaritiæ, furti, ebrietatis, libidinis ac luxuriæ peccata, aut occaſiones peccandi, in memoriam facilè revocabit conſcientia, modo illa loqui permittatur; non diſſimulabit has animi labes; producet in medium hæc monſtra ut plectantur. (*a*) Ità conſcientiam tuam examinando & trutinando litigans, nequaquam in litigio verſatus eris, ſed potius Deo, quam mammonæ ſervire ſtudueris. Aliàs *non poteſtis Deo ſervire & mammonæ*, (*b*) ſcilicet, quæ Chriſtianitatis ſunt agere, & litigium in curiis pro temporalibus exercere. Interrogo conſcientiam veſtram (loquitur cum eis S. Sixtus) Si

(a) *Drexel. in ſuo Triſmegiſtro lib.1.c.6.*
(b) *Mat.6.24.*

nihil de divitiis ſuis curant: ſi nihil inde ſoliciti ſunt: ſi nunquam earum causâ à pſallendi, orandi, legendi vel cujuslibet divini operis retrahuntur officiis: ſi cauſarum vel litium inquietudini vacant: ſi contrà Domini vel Apoſtolorum ejus interdictum ſæcularia nunquam judicia adire coguntur: ſi nulla illis mancipiorum vel finium vel cujuſcumque cauſæ calumniæ ſuſcitantur, per quas & à Dominico opere retrahuntur, & divinæ legis tranſgredi mandata neceſſe ſit. (*a*) Nota quomodo per litigium Divina lex ex neceſſitate litigii, tranſgreditur.

Conſcientia fideliſſimus eſt Antigrapheus noſter à Deo aſſignatus, qui quotieſcumque poſtulatur rerum à nobis geſtarum, commentarium producit, ut memoremus & reminiſcamur. Initium ſalutis notitia peccati, (*b*) per quam confitemur & ad pœnitentiam recurrimus; ut mors immaculatos & inviolatos in pace nos inveniat: & cum hac pace, ad æternam pacem tran-

(1) *S. Sixt. 3. de Divitiis pag. mihi 31.*
(b) *Senec. Ep. 29.*

Digitized by Google

tranſeamus abſque litigioſis & inquietis contentionibus peccaminoſis.

Mors non tardat: *Omnes morimur, & quaſi aquę dilabimur in terram, quę non revertuntur*. (*a*) Credis in hoc? Sed quomodo credis? Quomodo vides mortuos quotidie? Fide cœca: oculis clauſis & verbis quæ cor non penetrant. Dicam cum Magiſtro: *Si terrena dixi vobis, & non creditis; quomodo ſi dixero vobis Cæleſtia credetis?* (*b*) *O Domine adauge nobis fidem*: (*c*) *Adjuva incredulitatem noſtram*: (*d*) *Puſillę enim fidei ſumus*. (*e*)

Timenda & prævidenda eſt mors etiam propter mala quæ ſecuntur ad illam: In ipſa enim & per ipſam, omnia quæ in mundo ſunt, relinquuntur: quæ cum tanto labore, tot curis, tantis peccatis acquiruntur & retinentur. *Nudus enim egreſſus eſt homo de utero matris ſuę, & nudus revertetur illuc*, (*f*) ſcilicet in terram, quæ fuit mater prima omnium: Quia *fecit Deus hominem de limo terræ*. (g) *Sicut egreſſus eſt nudus,*

(a) 2.*Reg*.14.14. (b) *Jo*:3.12. (c) *Luc*.17.16. (d) *Marc*.9.24. (e) *Luc*.12.28. (h) *Job*.1.25.

loquitur Spiritusſanctus, *de utero matris suę, ſic revertetur, & nihil aufert ſecum de labore ſuo. Miſerabilis prorsùs infirmitas, quomodo venit, ſic revertetur. Quid ergo prodeſt ei, quod laboravit in ventum? Cunctis diebus vitę ſuę comedit in tenebris & in curis multis, & in ęrumna atque triſtitia.* (a) *Qui legit intelligat: & qui habet aures audiendi audiat.* (b)

Audite hęc omnes gentes, auribus percipite omnes qui habitatis Orbem, quique terrigenę & filii hominum ſimul in unum. (c) Quid? Apoſtolum tubicinantem omnibus hominibus: *Nihil intulimus in hunc mundum; haud dubium eſt quod nec auferre quid poſſumus.* (d) Mors aufert pecunias & omnia commoda hujus vitæ fugientis: Aufert amicos, conſanguineos, pulchritudinem à corpore, fortitudinem, dignitatem, & omnem poteſtatem: *Homo cum fuerit mortuus, & nudatus, ubi quęſo eſt? Homo cum mortuus fuerit, hęreditabit ſerpentes, beſtias & vermes.* (e) Et ut refert S.Præ-

(a) *Gen.*2.7. (b) *Eccliſ.*5.14 (c) *Mat.*24.15. & *Jo:*14.35. (d) *Pſ.*48.1. (d) 1.*Tim.*6.7. (e) *Ecc.*10.13.

S.Præſul Antoninus: Mortuo homine de cerebro ejus naſcitur Buſo: (a) de renibus Serpens: de ventre Lumbrici: vermes de carne: de lingua Aſtobabus. Quid fetidiùs humano cadavere? Inquit Bernardus, quid horribilius homine mortuo? Cujus erat in vita gratiſſimus amplexus, fit in morte horribilis aſpectus. Quid ergo proſunt divitiæ, aut ſimplices commoditates corporis? Quid deliciæ? Quid honores? Divitiæ non liberant hominem à morte: deliciæ non liberant hominem à verme: honores non liberant à fetore. Qui modò ſedebat dives & glorioſus in Throno, aliis præſidendo, modò jacet pauper in tumulo. Qui deliciis veſcebatur, nunc à vermibus in ſepulchro conſumitur. (b) *Putredini dixi: Pater meus es; Mater mea & ſoror mea vermibus.* (*) *Memorare ergo noviſſima tua, & in æternum non peccabis*. (c) *Memor eſto*

 quo-

(a) Verba tanti Præſulis attentè conſidera; lege, relege; ſunt enim magnæ conſiderationis digna ut ad veram intelligentiam cordis Spiritusſanctus nos perducat.

(b) *S.Antonin.tom.* 4.*in ſum.tit.* 14. §.3.

(*) *Job.*17. 13. (c) *Eccl:* 7. 40.

quoniam mors non tardat, (*a*) & nequaquam litigioſus eris: *Abſtine te à lite, & minues peccata*. (*b*) Continuè & perſæpe in hac repetitione erimus: *Abſtine te à lite, & minues peccata*. Nequaquam, mortem cogitando, ambitioſus eris & concupiſcens bona temporalia vana & caduca, quæ ad nihilum valent *in die illa tremenda, quando Cœli movendi ſunt & terra*: (*c*) *Dies iræ, dies illa, dies tribulationis & anguſtiæ &c*. Sed & *argentum eorum, & aurum eorum, non poterit liberare eos in die iræ Domini*. (*d*) *In die illa*, dicit Dominus, *& audite & intelligite* (*e*) Fratres in CHRISTO dilectiſſimi: *Si fuerint tres viri iſti: Noè, Daniel, & Job, in medio populi iſtius, filium & filiam non liberabunt; ſed ipſi, juſtitia ſua, liberabunt animas ſuas*. (*) Opera pietatis, quæ fecerimus bona, à malo liberant & comitantur ſemper, ſicut ſcriptum eſt: *Opera enim illorum ſequuntur illos*, (*f*) protegent ab omni malo, & anteibunt lucentia in obſcuri-

ri-

(a) *Eccl*.14.12. (b) *Eccl*.28.10. (c) *Joel*.2.10.
(d) *Soph*. 1.15. *& ſeq*. (e) *Matt*.5.10.
(*) *Ezech*.14. 14. (f) *Apoc*.14.14.

Digitized by Google

ritate tranſitus hujus vitæ: protegent & defendent ab omni incurſu diaboli occurſantis: *Eleemoſyna à morte liberat; & ipſa eſt, quę purgat peccata, & facit invenire miſericordiam & vitam ęternam:* (*a*) Ira enim Domini non ſiſtet contrà Eleemoſynarios. *Corripe me Domine, veruntamen in judicio, & non in furore tuo.* (*b*)

Revera quod capitis initio monuimus: litigandi tempus jam non eſt Chriſtiano vero: *Et juravit Angelus per Viventem quia tempus non erit amplius:* (*c*) Sed *ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis* (*d*) Tuba proclamat, nunc dicit, nam paulò poſt ad Tribunal CHRISTI ſtabimus Æternitatis rei. Felix qui loqui poterit ex præparato. Bernardus plane fidelis monitor, judiciarii turbinis incurſum ac ſcopulum velut digito demonſtrās: Veniet, inquit, veniet dies Judicii, ubi plùs valebunt pura corda, quam aſtuta verba, plùs conſcientia bona, quam marſupia plena: quandoquidem Judex

(a) *Tob.* 12.9. (b) *Jerem.* 10. 24.
(c) *Apoc.* 10.6. (d) 2.*Cor.* 6.2.

dex ille, nec fallerur verbis, nec fle-ctetur donis. Quid faciet de injuſtis judiciis, qui ipſas quoque juſtitias judicabit? (*a*) Nec procul eſt hic Judex: Et tibi mi lector, & mihi proximus eſt. Gregorius diſſertè: Venit Dominus, inquit, cum ad Judicium properat; pulſat verò, cum per ægritudinis moleſtias mortem vicinam eſſe deſignat. (*b*) Ergo quicumque vivitis, hodierna forſàn aut craſtina, vel à morbo vel à morte proſternendi: *Scitote quia propè eſt in januis.* (*c*) Jam furtim Judex, ut ipſemet præmonuit, ſe foribus admovebit: *Veniam ad te tamquam fur; & neſcies qua hora veniam ad te,* (*d*) ergo litigandi, nugandi, dormiendi, & divertendi tempus jam non eſt, nec de temporalibus rebus vanis caducisque cogitare, & concupiſcere ea quæ non poſſidemus, ac per litigium poſſidere deſiderantes; cum horam neſciamus, quando Judex venturus ſit, & extemplò dicat: *Redde rationem villicationis tuæ:*

(*a*) *S. Bern. Ep. 1. mihi pag.* 1412. (b) *S. Greg. ho: 13. in Evang.* (c) *Mat, 24.33.*
(d) *Apoc. 3. 3.*

tuę: jam non poteris amplius villicare, (*) ſcilicet bonum operare meritorium: redde ergo rationem de opere peracto tota villicatione tua, ideſt, tota vita tua; an bene, an male. O tremendum judicium, non excogitatum, ſtatim & imparatè in eo comparendum! in quo dicit Dominus: *Ego ſum Judex & teſtis.* (a) *Revelabunt Cæli iniquitatem ejus, & terra conſurget adverſus eum.* (b) *Creatura enim tibi Factori deſerviens exardeſcit in tormentum adverſus injuſtos.* (c) *Audite, & intelligite.* (d)

Quemadmodum rectores non ſemper in navi permanent, neque viatores in eodem ſemper hoſpitio commorantur: Ità & nos in hac vita, non poſſumus perpetuò manere. Ex quo fit ut non ſecùs, atque illi; nos item peregrini atque hoſpites in hoc mundo appellemur, tales enim ſumus, patria noſtra ſurſum eſt, ibi hoſpites non erimus: (e) *Non habemus hic Civitatem permanentem, ſed futuram inquirimus.* (f)

Hæc

(*) *Luc.* 16.2. (a) *Jerem.* 29.23. (b) *Job.* 20.27. (c) *Sap.* 5. 21. (d) *Mat.* 15.10. (e) *S. Aug. ſup. Pſal.* 32. (f) *Hebr.* 13.14.

Hæc mentis oculo contemplantes, paremus nos ad vitæ migrationem Eleemoſynis & miſericordiis pauperum. Quid in rebus humanis certiùs morte? (exclamat Bernardus) quid hora mortis incertiùs invenitur? Senibus quidem in januis, adoleſcentibus in inſidiis eſt. (*a*) Ergo, *ne glorieris in craſtinum, ignorans quid ſuperventura pariat dies.* (*b*) Sed nec Venuſinus vates hoc neſcit, dicens:

Quis ſcit, an adjiciant hodiernę craſtina ſummę
Tempore Dij ſuperi? (*c*)——

Jacobus Apoſtolus loculentiſſimè: *Ecce nunc*, inquit, *qui dicitis: hodie aut craſtino ibimus in illam Civitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus, qui ignoratis quid erit in craſtino. Quæ eſt enim vita veſtra? Vapor eſt ad modicum parens, & deinceps exterminabitur; &, ſi vixerimus, faciemus hoc aut illud. Nunc autem exultatis in ſuperbijs veſtris. Omnis exultatio talis maligna eſt. Scienti igitur bonum facere, & non*

(a) S. Bern. de conv. ad Clericos cap. 14.
(b) Prov. 27. 1. (c) Orat. lib. 4. Ode. 7.

& non facienti, peccatum eſt illi. (a) *Qui habet aures audiendi audiat.* (b)

Omnes ibimus, omnes, omnes. Siquidem *omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur.* (c) Neque tu ignorare potes, ità te eſſe procreatum, ut memineris à rerum natura, & accipiendi Spiritus, & reddendi, eodem momento temporis legem dici: atque ut mori nemo ſolet, qui non vixerit; ità nec vivere quidem aliquis poteſt, qui non ſit moriturus: Quando ſit moriturus? Incertiſſimum. Idcirco CHRISTUS fideliſſimo præmonitu nos excitans: *Videte*, inquit, *vigilate & orate: neſcitis enim quando tempus ſit.* (d) Et hoc ipſum mox repetens: *Vigilate ergo, neſcitis enim quando Dominus domus veniat ſerò, an media nocte, an galli cantu, an mane; ne cum venerit repentè, inveniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico, VIGILATE.* (e) Quis non ſtabit in vigilia contrà impetus mortis? Quæ omnibus horis imminet, quæ & nullum ſibi

(a) *Jac.* 4. 14. *& ſeq.* (b) Jo: 14. 35. (c) 2. *Reg.* 14. 14. (d) *Marc.* 13. 33. (h) *Marc.* 13. 35.

ſibi deſtinavit tempus quo debeat occurrere, quæ repit, volitat, inſilit, nixu tacito, gradu ſuſpenſo, nullis antecedentibus ſignis, nulla cauſa, nulla cautione: in morbo, in valetudine, in periculo, in ſecuritate; ità nihil ab ejus unguibus ſanctum eſt aut tutum.

Sanus erat & hilaris Tarquinius, cum piſciculi ſpina ſuffocatus eſt. Sanus quoque Fabius, cum ei tenuis pilus, quem cum lacte auſerat, vitæ reſcidit filum. Muſtela Ariſtidem momordit, & momento temporis extinxit. Cæſaris dictatoris pater, hilariter ſurgebat e lectulo, & dum calceatur, egit animam. Alius Cæſar dum pede impingit in limen, properantem ſpiritum excutit. Legatus Rhodiorum cauſam in Senatu magna cum admiratione oraverat, in limine curiæ protinùs expiravit. Anacreontem poetam, & (ſi fides Luciano) Sophoclem etiam uvæ acinus necavit; & quid dicam de tot his infinitis, & quæ quotidie ſimilia experimur oculis propriis. Quod aliis accidit, nobis etiam accidere poteſt, ideoque vigilandum

& mors

& mors vicina ſemper conſideranda. Et hoc, ut bene vivamus cum proximi præcepta dilectione, quæ ad omnia valet meritoria ad vitam æternam capeſſendam; & mors ſi triumphat de corpore, nos triumphamus de morte cum CHRISTO, qui mors mortem ſuperavit in æternum. Vigilemus itaque, opera bona exercendo in dilectione proximi, non cum litigio contrà *pacem* CHRISTI à Cœlitum multitudine annunciatam *hominibus bonę voluntatis* (*a*) cum proximo fratre noſtro, caro de carne noſtra, & oſſa de oſſibus noſtris. Omnes enim invicem *Templum Dei ſumus & ſpiritus Dei habitat in nobis*: (*b*) Ideoque dilectionem, charitatem & miſericordiam invicem exercere debemus, quia ſumus membra de membro, teſtante Paulo & ad pacem uniente: *Non ſint ſchiſma in corpore, ſed idipſum pro invicem ſolicita ſint membra; & ſi quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra &c. Vos autem eſtis corpus CHRISTI & membra de membro*. (*c*) Si ergo Templum Dei

(a) Luc. 2. 14. (b) 1. Cor. 3. 16. *& ſeq.*
(c) 1. Cor. 12. 25. *& ſeq.*

Digitized by Google

Dei ſumus, & corpus CHRISTI, & membra de membro, quomodo ſchiſma, lites & diſcordiæ conſentanea erunt in eodem corpore? Contrà naturam, contrà finem & diſpoſitionem Creatoris erunt lites & diſcordiæ in uno corpore, quod ſunt omnes homines in unum, membra omnia de membro CHRISTI.

De Sindicatu reddendo coràm Judice CHRISTO à quolibet homine in articulo mortis conſtituto diſſerens Pelagius græcus interpres, narrat è religioſo ſene viſum aliquem paulò liberiùs ridentem. Hunc, ſenex, vultu ſevero, & voce grandi velut in piaculo deprehenſum corripiens: Coràm Cœli & terræ Domino, inquit, rationem totius vitæ noſtræ reddituri ſumus, & tu rides? (*a*) Quantò rectiùs nos dixerimus: Brevi coràm ſupremo Judice comparendum erit, & de omnibus vitæ annis reddenda ratio, & tu abſque proximi dilectione, tota mente litigas in curiis pro tempora-

(a) *Pelag. libell. 3. n. 23. ex Drexel. in Tribun. Chriſt. lib. 2. c. 10. §. 7.*

Digitized by Google

ralibus vanis & caducis , citò aliis relinquendis,& tu helluaris , & tu furaris,& tu ſcortaris impie? Propinquum tibi Judicem non vides,non audis? At ille profectò te videt & audit, non loquentem ſolùm & agentem;ſed & cogitantem.(*a*)

Et ut ſcias,hic ipſe Judex eſt , *qui poteſtatem habet , & animam , & corpus perdere in gehennam* . (*b*) *Vis* , inquit Paulus,*non timere poteſtatem? Bonum fac; Si autem malum feceris, time , non enim ſinè cauſa gladium portat* . (*c*) Gladius Judicii in manu CHRISTI eſt: *Timete ergo Dominum, & date illi honorem, quia venit hora Judicij ejus* . (*d*) Timete & *fugite*,dum libet, *à facie gladii* (*e*) B. Fulgentius optimè ratiocinatur . Si ſanguinarius Herodes timuit infantiam in fæno cubantis ; quantò magis timere debemus omnipotentiam Judicantis . (*f*) Ergo ſicut Hebræus Pſaltes,ac Huſſeus Princeps contentiſſimè cla-

(*a*) Proximus eſt nobis Judex omni loco omni momento, vigilantibus etiam, & dormientibus. (b) *Math.* 10.28. (c) *Rom.* 13.3. (d) *Apoc.* 14.7. (e) *Job.* 10.29.
(f) *S. Fulgent. ſerm. 5. de Epiphan.*

clamant & monent: *Nolite iniquè agere, nolite exaltare cornu, nolite loqui adverſus Deum iniquitatem*(*a*)Iniquitatem loquitur, qui peccat, & iniqua committit: *Fugite à facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius eſt, & ſcitote eſſe Judicium*(*b*)*Quoniam Deus judex eſt.* (*c*)

Horribilem, ac ſubitam Cœli mutationem vaticinatur Amos, & clarum meridiem tenebris ſepeliendum præmonet. *In die illa, dicit Dominus, occidet Sol in meridie.* (*d*)Sunt plurimi, qui vicino jam obitu ad ætatis ſuæ meridiem ſe perveniſſe credant. Hinc ſpe vana in neſcio quot futuros annos diſpenſant vitam, impendens Judicium non metuunt, neque ſe illi parant. Aliàs ſibimet rationes fingunt: Has, ajunt, domos edificabimus, hæc convivia celebremus, hæc lucra congeremus; has nuptias frequentabimus, tantam familiam numerabimus. (*e*)

Alii: ſi hanc litem quam habeo lucrifaciam, & victor evadam; hoc & illud

(a) *Pſ.74.5.* (b) *Job.19.29.* (c) *Pſ.74.6.* (d) *Amoſ.8.9.* (e) Vanas hominum cogitationes, & conſilia.

Digitized by Google

illud faciam, res meas componam, ut quiete vitam agam commode & pacatè, abſque inquietudine. Hoc dicere ſoliti litigantes. Quantas vanas ideas, quantas cogitationes de craſtino, quæ ad temporalia tantùm tendunt incertanimis & valde dubia. Videte quæſo ſerenum & innube Cœlum; meridiem clariſſimum, vitam ſanam & robuſtam ad delicias & corporis commoda paratam: ſed brevi nubila horrida, nimbos & procellas ſpectabitis. *Sol occidet in meridie: Sicut piſces capiuntur hamo, & aves laqueo, ſic homines in tempore malo,* (*a*) ſcilicet mortis.

Idem demonſtrat Jacobus pauló antè refertus, & placet dicta repetere pluries & aſſiduè: *Ecce* inquit *nunc qui dicitis: Hodie aut craſtino ibimus in illam Civitatem, & faciemus ibi quidem annũ, & mercabimur & lucrum faciemus* (*qui ignoratis quid erit in craſtino: Quæ eſt enim vita veſtra? Vapor eſt ad modicum parens, & deindè exterminabitur*) *pro eo ut dicatis: Si Dominus voluerit & ſi vixerimus faciemus hoc aut illud. Nunc autem*

(a) Ecclis. 9. 12.

tem exultatis in ſuperbiis veſtris. Omnis exultatio talis maligna eſt: Scienti igitur bonum facere & non facienti, peccatum eſt illi. (a) Peccatum ſcilicet, quia etſi dicant: *Si Deus voluerit, & ſi vixerimus &c.* Deum in medio adducunt, verum etiam & mortem, non conſiderantes quid dicant, ore tantùm ſed non corde aut interno intellectu; interim verò exultant in ſuperbiis eorum in concupiſcentiis carnalibus, omnem ſpem & fiduciam ponentes in rebus, lucris & commodis hujus ſæculi; omnia agentes cum carnis prudentia pro carne; & ideò peccatum eſt illis, quia jam cognoſcunt bonum facere, ſcilicet æternum & non faciunt, ſed ad fabulas convertuntur, ad vanitates vitæ temporalis, & ad ea quæ carnis ſunt & voluptatis; ad bonum autem quod perficere debent animæ eorum, non convertuntur: & ideò peccatum eſt illis. Interim verò tempus vitæ concluditur, adveniente Domino ſicut fur; & vadunt vacui in redditione computorum, opera enim meritoria in

(a) Jac. 4. 13.

in illis computis non inveniuntur, ut digni efficiantur miſerationis Dei, & gratiæ conſumantis.

Nunquamne hominem vidiſti, qui mediis maris fluctibus caballum agitarit, aut qui mediis aeris nubibus incitarit navigium? Tales ſunt iſti, qui ſpem concipiunt longiſſimam, qui vitæ ſuę circulum ponunt ampliſſimum, & in eo conſilia & deſtinationes collocant quamplurimas: fors hodie reſponſuri Judici, cras tumulo tegendi.

Quam appoſitè canit Pſaltes: *Dominus ſcit cogitationes hominum; quoniam vanæ ſunt.* (*a*) *Qui habitat in Cœlis irridebit eos; & Dominus ſubſanabit eos;* (*b*) Nam ſubito mortem Tribunalis ſui apparitorem mittit; & en momento diruitur quicquid in aere tot vanis conſiliis ædificatum eſt. Ità machinæ omnes, cogitata, diſpoſita, & conſulta omnia, evaneſcunt.

Conſpiciamus paululum, & recentium exemplorum ſatis cernemus. Quanti ſunt qui ſuaviter apud ſe cogitant: Jam demum res meas compoſui,

(a) *Pſal.* 97. 11. (b) *Pſal.* 2. 4.

Digitized by Google

curabo igitur ut mihi bene ſit. Adſunt divitiæ, nec honores deſunt, liberos in luculentas familias collocavi; cauſam illam intricatam & litigioſam expedivi; grande illud opus ad finem perduxi; domeſtica provide conſtitui, domum copioſè inſtruxi: jam mihi credo licebit ſub vite & ficu mea reſpirare largiter. (*a*) Ergo vivamus. Ergo morere, ait Deus, & tuo te Judici ſiſte; Omnia enim *noviſſima inimica deſtruet mors*. (*b*) Nam perſæpe experimento probatum eſt, etiam his diebus in quibus has veritates ſcribimus conſpicitur in quodam primario Poteſtate, qui compoſita omnia domeſtica, ſuperata etiam perſecutione coràm Rege & in poteſtate reſtitutus; ſtatim mors furibunda vitam amputavit; Hoc etiam in multis aliis probavimus, quod cum homines ab anfractis, & inquietudinibus, ſuperatis omnibus & compoſitis, in pace jam & quiete ſiſtunt; *Cum enim dixerint pax & ſecuritas*,

(a) Quando in pace homo eſſe intendit, tunc mors furibunda procedit in illum.

(b) 1. Cor. 15. 26.

tas, tunc repentinus eis ſupervenient interitus: (*a*) tunc mors furibunda, falce ſua vitam amputat & conſilia ac omnes diſpoſitiones hominis, qui ſtatim coràm ſuo Judice ſiſtere oportet dicente illi. Sciebas equidem in exilio non in Patria te agere: *Non eſſe hic manentem Civitatem, ſed futuram inquirendam;* (*b*) Ad Judicium te brevi evocandum, millies audiebas, ſed ſpernebas. Elapſa vitæ horula, jam voco: jam ſtabis, *ut Judicio contendam adverſum te.* (*c*)

Ità ſæpius cum maximè cogitamus vivere, mors evocat. Ità ille Judicii ſecurus, & prolixam ſibi vitam pollicitus: *Anima,* inquiebat, *habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, commede, bibe, epulare:* At mors proximè adſtans, hæc hominis vigilantis ſomnia audivit, & ſuſurris tacitis reſpondit: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te; quæ autem præparaſti cujus erunt?* (*d*) En ut Turris in aere ſtructa, *Domus ſuper arenam ędificata,* (*e*) corrue-

(a) 1. *Theſſ.* 5.3. (b) *Hebr.* 13.14. (c) 1. *Reg.* 12.7
(d) *Luc.* 12.12. & 20. (e) *Matt.* 7.26.

ruerit repentè. En ut ridens Cœlum, ſubitò vultum induerit aterrimum. Propterea huic aereo ædificio, & tam faventi Cœlo ne fidas: *ruina magna & nubes proxima ſunt. Iſti ædificant & ego deſtruam dicit Dominus.* (*a*) *Cuncta quæ fiunt*, inquit Eccleſiaſtes, *adducet Deus in Judicium pro omni errato, ſive bonum ſive malum ſit.* (*b*) Ergo, *Diſpone domui tuę*, ideſt animæ tuæ, *quia morieris.* (*c*)

Rex Hebræus Saul vir militaris, ſtrenuus, audax; præliis compluribus interfuit, multis victoriis clarus; auſus etiam Samuelis manes ad colloquium evocare. At ubi Sententiam feralem illam audivit: *Cras tu, & filij tui mecum eritis &c. Statim cecidit porrectus in terram:* (*d*) *terribilis terribilium mors.* (*e*) Adeo cohorruit ad ſubitam hanc tempeſtatem, & improviſum mortis nuncium. & tibi & mihi hoc etiam repentè accidere poteſt: Ergo *antè judicium prępara animam tuam, prępara*

(a) *Malach.* 1. 4. (b) *Eccliſ.* 12. 14.
(c) *Iſa.* 38. 1. (d) 1. *Reg.* 28. 19. & 20.
(e) *Ariſtoteles.*

para juſtitiam tibi. (*a*) Præparabis cum Juſtitia, ſcilicet Eleemoſyna, & proximi dilectione.

Complures ejuſcemodi nuncios quotidie Deus ad nos deſtinat, qui mortem & judicium indicant. Illos invalida ſenectus & cani, iſtos adverſa valetudo & morbi, hos ſacræ conciones & libri, alios crebriora funera & mortualis campanarum clangor, quoſdam piorum monita; non paucos, calamitates & res afflictæ urgent, ut ad futurum ſeſe judicium parent. Hi omnes monitores ac nuncii cum Siracide clamant: *Antè judicium interroga teipsũ. Antè judicium para juſtitiam tibi.* (*b*) Idẽ & Jobus vociferatur: *Fugite à facie gladij, quoniam ultor iniquitatum gladius eſt: & ſcitote eſſe Judicium.* (*c*) Idem hoc Judicium & David denuncians: *Niſi converſi fueritis gladium ſuum vibrabit, arcum ſuum tetendit & paravit illum*: & in eo paravit illum: *& in eo paravit vaſa mortis: Deus Judex juſtus fortis & patiens.* (*d*) Idem & Salomon diſtinctiſ-

 ſimè

(a) *Ecc.* 18. 19. (b) *Ecc.* 18. 19.
(c) *Job.* 19. 20. (d) *Pſal.* 7. 12. *& ſeq.*

ſimè proclamat. *Judicium à Domino egreditur ſingulorum.* (a) Item Petrus: *Tempus eſt ut incipiat Judicium à Domo Dei.* (b)

Pſaltes Hebræus: *Dies,* inquit, *diei eructat verbũ, & nox nocti indicat ſcientiam.* (c) Quis jam impiis, immiſericordibus, litigantibus, concupiſcentibus temporalia & abſque dilectione proximi ſicut eos ipſos, perſuadeat eos in conſcientia erronea vivere, & impiè agere? Magna res eſt (inquit Caſſiodorus) contrà artifices loqui, & apud illos aliquid agere, qui ſe putant omnia providere. (d) Optimos vitæ dies inaniter & vanitatibus frangunt. Sed illis hoc demum perſuadebunt Avernales tenebræ, æterna nox: *Scientiam nox indicabit nocti.* Quemadmodum dies felicitatis perpetuæ oſtenſurus eſt beatis, quàm opportunè hos vitæ dies ſanctis actionibus expenderint: ità nox illa horribilis, ſempiternam noctem deteget, quam inter vitia jam ducunt improbi, brevi, æterna nocte ſepe-

(a) *Prov.28.26.* (b) *1.Petr.4.17.*
(c) *Pſal.18.3.* (d) *Caſſiodor.lib.1.Epiſtolar.*

ſepeliendi. O nox ò tenebræ! Hac nocte, his tenebris latrat conſcientiæ canis, favor humanus dormit, voluptas omnis jam evanuit, nil fulget auri nec ſplendent abaci, ſilent amici, abſunt medici, neque ſunt advocati & procuratores conſulentes: (*a*) terrent umbræ, involvunt flammæ, concluſit ÆTERNITAS. O nox, ò tenebræ! *Audient in die illa ſurdi verba libri, & de tenebris & caligine oculi cęcorũ videbũt.* (*b*)

Plurimi verò aut diſſimulant hæc audire, aut contemnunt. Demum heu ſerò, cum brevis halitus, cum oppreſſum pectus, cum nox in oculis, pallor in ore, macies in vultu, dolor in membris, pavor in venis, mœror in animo; cum lingua titubat, præcordia tubent, pedes frigent; cum gelidus decurrit ſudor: tunc illi ambire Judicem & penſare velle, & molles ad eum aditus inveſtigare, & clamare: *Domine Domine*; (*c*) *Sed non omnis qui dicit, Do-*

K 4 *mi-*

(a) Nudus ad Judicium ſiſtit homo, nulla erit protectio, ſola opera pietatis & Eleemoſynæ protegent ad vitam æternam capeſſendam, Advocati locum fungentia.

(b) *Iſa.* 19. 18. (c) *Matth.* 25. 12.

mine Domine, intrabit in Regnum Cælorum. (*a*) Hæc rectè fierent, ſi fierent maturiùs, & tempore opportuno. Tempore opportuno, *Obturavit aurem ſuam ad clamorem pauperis*, & cum illo dilectionem non habuit, miſericordiamque non fecit: Nunc, *& ipſe clamabit, & non exaudietur*. (*b*) *Qui legit nunc intelligat: & qui habet aures audiendi nunc audiat*. (*c*)

Numquid mi Chriſtiane, centies, ſexcenties, numquid millies, & ſæpiùs caduceatores Judicis te monuerunt? Et monentes non audiſti. Numquid te in ſingulas horas paratum eſſe juſſerunt? Et juſſa neglexiſti. Numquid in futurum & citò hanc tempeſtatem prædixerunt? Et prædicentibus non crediſti. Numquid vellicarunt te dormientem, & excitarunt? Sed iterùm obdormiſti. Numquid rogarunt & obteſtati ſunt: curam gerere ſalutis? Sed tu obteſtationes has omnes nihil feciſti. Nunquid æternitatis inexplicabiles gyros ſæpiùs ob no-

(a) *Matt.7.21,* (b) *Prov.21.13.*
(c) *Marc.13.14, & Matt.13.9.*

Digitized by Google

oculos poſuerunt? Sed eos aſpicere noluiſti. Numquid inevitabile hoc Judicium ſæpiſſimè repræſentarunt? Sed tu hæc omnia contempſiſti. Nunc obſeſſus, nunc deprehenſus in flagrantibus delictis, quid Judici tuo reſpondebis? Num paratæ ſunt rationes?

Perſæpe verò experientia demonſtrat, quod ſicut tota vita hominis fuit ſomnolenta in rebus Cœleſtibus, in ſpiritualibus ac in eis ad animam pertinentibus; ſemperque ſoliciti & vigilantes ad temporalia: Hac conſuetudine habituati, etiam hanc ſomnolentiam & cœcitatem in morte continuant; videmus enim in multis, multis, multis eos mori ſicut beſtiæ & inrationales creaturæ, nullo terrore mortis abſorti, nulla memoria peractæ malæ vitæ, nullam peccatorum gravitatem conſiderantes, nullam pœnitentiam, licèt ſeram, demonſtrantes nullam habentes contritionē, aut ſaltem attritionem: Stupidi & quaſi inſenſati moriuntur; non cogitant de Judicio, de gloria æterna, de pœna inferni. Et licet ex conſuetudine à do-

meſticis vocantur Sacerdotes, non recuſant morientes confiteri frigidè peccata, frigidè etiam aſſumunt Corpus CHRISTI ſicut ſi aſſumeret inrationale animal, aut daretur illi; ità videntur agere omnia inſenſibiliter, abſque ullo fervore, ſine patenti dolore; qui certè quando eſt, etſi internus; externè tamen abſcondere non poteſt, aut per verba, aut per lacrymas; neque timor mortis, & Dei judicii in quo ſiſtere debent abſcondi poteſt, ſemper apparet in exteriori, quæ omnia quando ſunt, abſcondere non poſſunt & aſſiſtentibus apparent, & ità moriuntur inſenſati, licet ſacramentati ex conſuetudine & uſu quodam, ſed ſtatim exalato ſpiritu, ceſſat inſenſatio & obſcuritas, omnia nuda conſpiciuntur; quid ſit Deus, quid homo, quid fecit Deus per hominem, quid homo propter Deum, quæ bona aut mala in cogitatione in verbo & opere peracta fuerunt. Quid de iſtorum ſalute conjectare poteſt? Deus ſcit qui noſcit omnia, cujus occulta & ineſcrutabilia judicia ſunt & inveſtigabiles viæ ejus.

Er-

Digitized by Google

Ergo ò Homo ne ad hanc ſtupiditatem inſenſatam devenias tempore mortis: *Nunc antè judicium interroga te ipſum, antè judiciũ para juſtitiam tibi.* (*a*) Expergiſcere; Nunc quod tempus habes age animam pro te quandiù locus eſt miſericordiæ quia poſtmodum erit locus juſtitiæ. (*) *Ecce tempus acceptabile: Ecce nunc dies ſalutis.* (*b*) Ut in hoc tempore ſalutis agas animam pro te, ut paratas habeas rationes & computa, neſciens quando Judex venturus ſit, hodie aut cras, mane aut veſpere, & dicat: *Redde rationem.* (*c*)

Hoc ipſum Judex prædicens: *Sicut autem*, inquit, *in diebus Noè, ità erit & adventus filij hominis. Sicut enim erant in diebus antè diluvium, comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, uſque ad eum diem, quo intravit Noè in Arcam, & non cognoverunt, donec venit diluvium & tulit omnes: ità erit & adventus filij hominis*, (*d*) Judicis CHRISTI ad judicandum Orbem; quod Mat-

(a) *Ecc.18. 19.* (*) *S. Aug. ad Cor. 6. ſup. illud: Sæcularia judic. &c.* (b) *2. Cor. 6. 2.* (c) *Luc. 16. 2.* (d) *Matt. 24. 37. & Marc. 13. 35.*

thæus ex ore Domini, idem & Marcus teſtatur. Adventum verò Judicis tam repentinum eſſe, quotidiana loquitur experientia. Sunt qui ipſum fatalem lectulum, non ſinè affectu ad priſtinas ſordes aſcendunt. In ipſis etiam teſtamẽtis pacem proximo non dant, ſed litigium cum ipſo continuandum præcipiunt; anima in labiis hæret nec dum tamen omnem peccandi licentiam ejurant. *Sol* iſtis *occidit in meridie*; (*a*) ſubitum eos abripit diluvium, diluvium ſcilicet æternarum pœnarum; peccatum enim habent in Spiritumſanctum, ſcilicet peccatum ad mortem: Unde Joannes ait: *Eſt peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis. Omnis iniquitas peccatum eſt, & eſt peccatum ad mortem.* (*b*) Secundum Gregorium peccatum ad mortem eſt peccatum uſque ad mortem, pro quo non eſt rogandum; quia ſcilicet peccatum quod hic non corrigitur, ejus venia fruſtrà poſtulatur. Peccatum in Spiritumſanctum, inquit Lu-

(a) *Amos*. 8. 9.
(b) 1. Jo: 5. 16.

Ludolphus, (*a*) eſt obſtinatio vel pertinacia mentis, in nequitia obdurare, procedens ex præſumptione, vel deſperatione. Qui enim præſumit de miſericordia Dei, promittens ſibi, putans ità Deum peccata impunita relinquere, eo ipſo obſtinatur, ideſt pertinaciter in peccato obduratur, peccata peccatis ſuperaddens; & ità peccat contrà juſtitiam Spirituſancti: qui ità miſericors eſt in juſtitia, quod eſt & juſtus in miſericordia. (*b*)

Quod Matthæus & Marcus, idem & Lucas Domini juſſu præmonens: *Intendite autem vobis*, inquit, *ne fortè graventur corda veſtra in crapula &c. & curis hujus vitæ: & ſuperveniat in vos repentina dies illa, tamquam laqueus &c. Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini, fugere iſta omnia quæ futura ſunt, & ſtare antè filium hominis.* (*c*)

Qua-

(a) In hac ſententia Ludolphi citatu loco, invenies quid ſit peccare in Patrem per fragilitatem, quid in filium per ignorantiam, quid in Spiritumſanctum per obſtinationem,

(b) *Ludolph. Chartuſ. in vit. Chriſt par. 1. c. 73. poſt med.* (c) *Luc. 21. 34. & ſeq.*

Digitized by Google

Quapropter CHRISTUS, non ſolùm tempus Orbis ultimum, diem repentinam vocat, cui vigilandum ſit; ſed cuivis homini fatalem ac ultimam lucem deſignat, qua illi omnes Judicium patientur particulare, quos ad Tribunal mors evocaverit. Hæc cuivis ultima dies, dies eſt repentina, & mala: Hæc poſcit vigilias, hæc rationes exigit paratas. Idcircò & Joannes Apoſtolus, Domini perſonam agens: *Ecce*, inquit, *venio ſicut fur: Beatus qui vigilat & cuſtodit veſtimenta ſua:* (*a*) Veſtimenta ſcilicet virtutes & opera pietatis, quæ nudam animã noſtrã veſtiunt. (*b*) Idem omninò cum morimur nobiſcũ fit quod cum reis, qui ad ultimum ſupplicium educuntur è carcere: veſtes illis relinquntur, cęteris omnibus, etſi ditiſſimi ſint, ademptis. Itá nos profectò, præter pias ſanctaſque actiones, hinc ad tribunal nihil ferremus, ſed tantùm *opera noſtra ſequntur nos.* (*c*)

Quod

(a) *Apoc.* 16. 15. (b) Opera bona in vita facta comitantur & protegunt tempore mortis, in quo jam tempus operandi bonum concluditur.

( ) *Apoc.* 14. 14.

Quod Joannes, idem omnino aſſerens Paulus: *Dies Domini ſicut fur in nocte veniet: Cum enim dixerint pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperveniet interitus.* (*a*) Et tu interim expers curarum tota mente tua litigas pro re modicum poſſidenda & citò aliis relinquenda; nec cogitas judicium, in quo te oportet ſiſtere, & reddere rationem de omnibus hic operatis? (*b*) In quo primus actus judicialis eſt decretum illud: *Redde rationem villicationis tuæ:* (*c*) Ibi *de omni verbo otioſo reddituri eſtis rationem in die Judicij.* (*d*) Ergo *timete Dominum & date illi honorem, quia venit hora judicij ejus.* (*e*) Ergo dum vivis cogita qualiter debes operari; oportet enim reddere rationem, aut in vita, aut in morte. Jam enim ultrà, ſcilicet à tempore mortis tuæ, non poteris villicare, nec quicquam boni agere: Tunc enim non poterit quis Deo ſatisfacere de rebus tempora-

(a) 1.*Theſſal.* 5. 3. (b) Pauci & paucisſimi judicium cogitant ut ad rectam vitam ſe convertant antè mortem. (c) *Luc.*16.2. (d) *Matt.*12.36. (e) *Apoc.*14.7.

Digitized by Google

ralibus per Eleemoſynas, nec de corpore per jejunia, nec de anima per Orationes.

Tria verba dicit hic CHRISTUS, peccatori, magnæ anguſtiæ & anxietatis, quæ ſi continuè inſonarent auribus noſtris & cordi noſtro, nullo modo peccaremus. Primum eſt rigidæ reprehenſionis, (*a*) cum dicitur: *Quid hoc audio de te?* Sic ditato gratiarum muneribus, ſic prævento benedictionibus, & pretioſitate temporis ditato: diſſipatorem rerum mearum tibi commiſſarum te conſpicio. Quid hoc audio? Clamorem de terra reſonantem tam horribilia ſcelera; tam antiqua vitia, quæ tanta bona diſſipaſti, quia temporalia malè expendiſti: corpus inquinaſti, & animam peccatis inveteraſti. Secundum verbum eſt anxii timoris cum ſubdit: *Redde rationem villicationis tuæ*. O verbum ſtrictum, ò verbum durum, ò verbum anxium, diſcuſſionis tunc ſtrictæ faciendæ; quo-

(a) Nota perpulchra & propria ac genuina expoſitio hujus textus, ex Ludolpho Chartuſiano.

quoniam exigetur à nobis ratio de occultis cordium cogitationibus, de otioſis ſermonibus, de prætioſitate temporis diſperſa in litigiis curialibus contra pacem, & dilectionem Dei & proximi, aliiſque multis; Item de noſtris omnibus operibus. Tunc aperti erunt libri Cœleſtes: Tunc apertus erit liber conſcientiæ, in quo leget memoria quicquid homo cogitavit, dixit, & fecit: Tunc examinabuntur omnia, & tunc diſcutietur de tota vita noſtra. Tertium verbum eſt amari doloris, cum additur: *Jam non poteris amplius villicare.* In morte & poſt mortem tollitur omnis villicatio hominis, itaut ulteriùs nec bene nec male poſſit amplius operari. Magnus igitur eſt dolor animæ, quando proximante hora mortis, audit ſibi dici, quod ulterius non poſſit villicare. Certè quod totum mundum daret, ut ſibi concederetur ſpacium unius horæ, quo pęniteret & aliquid boni ageret: ſed non datur, quia *Juravit Angelus per viventem, quod tempus uon erit amplius*, (*a*) quia tempus

(a) *Apoc.* 10. 6.

pus illud eſt reddendæ rationis, non exercendæ villicationis. Audiantur ergo hæc tria verba ſeveri Judicis, & *antè judicium præpara animam tuam, præpara juſtitiam tibi.* (*a*) Juſtitiam ſcilicet Eleemoſynam, quæ juſtitia vocatur, *& ipſa eſt quæ purgat peccata, & facit invenire miſericordiam & vitam æternam*, (*b*) ſicut fecit hic villicus iniquitatis, ut habetur in hac parabola juxtà quod ſequitur Evangelium.

Timens autem villicus de vocatione in morte vel in judicio & reddenda ratione: *Ait intrà ſe*, in ſua cogitatione: Intrà ſe loquitur qui nullum amicum invenit, quo conſiliari poſſit: *Quid faciam quia Dominus aufert à me villicationem*, ideſt omnium villarum prædictarum cuſtodiam, ſcilicet tam rerum, quàm corporis & animæ; & hoc erit in morte. Sæpe enim contingit quod tales, timore mortis ducuntur ad pœnitentiam & ad cogitandum de vita futura. Sic ſemper cogitare debemus ſecundum Job: *Quid faciam cum ſurrexiſſet Deus ad judicium: Et cum*

qua-

(a) *Ecc.* 18. 19. (b) *Tob.* 12. 9.

quæſierit, quid reſpondebo illi? (*a*) ſed nota quod non ait quid dicam, ſed *quid faciam*, quia apud ſtrictum Judicem non excuſant nec defendunt verba ſuaſoria, ſed facta meritoria: *fodere* per pęnitentiam, *non valeo*, ideſt proprio labore & pęnitentia non poſſum de peccatis ſatisfacere & ad vitam beatam venire: *Mendicare* per orationem, *erubeſco*: quia verecundum debet eſſe hujus mundi commodum petere ſuffragia ſpiritualia cum perſiſtat in temporalibus concupiſcentiis, diſperdens bona Domini ſui & in fraganti deprehenſus, tanquam non *fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam.* (*b*) *Scio quid faciam, ut cum amotus fuero*, ſcilicet per mortem, *à villicatione recipiant me in domos ſuas*: Debita relaxabo debitoribus Domini mei, & diſtribuam eis de facultatibus ipſius. Hic duo notatu digna ſunt, unum ſcilicet, quod de bonis noſtris non damus pauperibus, ſed de bonis Domini noſtri, in ly quod dicit diſtribuam eis de facultatibus ipſius:

(a) *Job.* (b) *Luc.* 12.42.

Digitized by Google

ſius: alterum verò, quia pauperes ſunt patroni Regni Cęlorum, quod eſt illis ſicut domum propriam, in ly quod dicit, recipiant me in domos ſuas, ſcilicet per eorum merita & ſuffragia recipiant in vita beata, nec cogar fodere aut mendicare fruſtrà. Dicit in domos pluraliter propter diverſitatem premiorum, quia ibi manſiones multæ ſunt; in has domos nullus poteſt ingredi, niſi per oſtium miſericordiæ vel ſpiritualis vel corporalis; in cujus ſignum, Salomon in ingreſſu Sanctam Sanctorum *fecit duo oſtiola de lignis olivarum* (*a*) per oleum verò miſericordia deſignatur. Duo oſtiola dicit, ſcilicet unum ſpiritualis miſericordiæ & Eleemoſynæ, alterum corporalis.

Iterum attentè nota quod manſiones Cęleſtes ſunt pauperum, quia illis datæ ſunt, *pauperum enim Spiritu eſt Regnum Cælorum*; (*b*) Unde ſi divites aut ſimpliciter commodi hujus mundi, illud habere volunt; oportet ut à pauperibus emant. Divites enim habent domos in terra; pauperes verò in

Cę-

(a) 3. *Reg*. 6. 31. (b) *Matt*. 5. 3.

Digitized by Google

Cęlo: libenter ergo hi divites commodi, recipiant pauperes in domos ſuas in terra, ut à pauperibus recipiantur in Cęlo, ſicut ſequitur Evangelium, *ut cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.*(*a*) Unde Auguſtinus: Præbe terram & accipe Cęlum.

Conſiderandum eſt in hoc Evangelio, quod tres villæ commiſſæ ſunt homini, (*b*) ſcilicet Mundus, Corpus, Anima, quorum fructus debet diſpenſare propter Deum & ad honorem Dei. Corpus namque ſuum debet diſtribuere jejuniis, vigiliis, cogitatione verbo opere, cęteriſque laboribus pro Deo aſſumptis; & tunc ſanitas, fortitudo, pulchritudo, quæ ſunt bona corporis, optimè erunt diſpenſata. Si vero corporis labores ſuſtinere non poſſit, dicens cum hoc villico, *fodere non valeo*, ſaltem bona animæ, quæ ſunt amor, cognitio, & memoria; ità diſtribuat orando, meditando de lege Domini, & cunctos etiam inimicos aman-

(a) *Luc.* 16. 9. (b) Tres villæ cuilibet homini à Deo commiſsæ, Mundus, Corpus, Anima.

Digitized by Google

amando, ut orationibus ſuis recompenſetur, quod laboribus efficere non potuit. Et ſi rursùs orare erubeſcit, utpotè quia neſcit, dicens quemadmodum & hic villicus dicebat: *mendicare erubeſco*; qui enim orat, mendicat; quia ſuffragium petit; tunc certè non reſtat, niſi ut provideat ſibi taliter de bonis terræ villæ Domini, (*a*) ſcilicet de bonis temporalibus Eleemoſynas largiendo: Talis enim diſpenſatio, omnem defectum excuſat corporis & animæ. Jejunium enim quod diſtribuit bona corporis, & oratio quæ diſtribuit bona animæ, atque Eleemoſyna quæ diſtribuit bona mundi, ſunt opera quibus habetur vita æterna.

Convocatis itaque ſingulis debitoribus Domini ſui, ſeorſum his ab illis. Religioſi enim & pauperes, quantumcumque juſti, ſunt debitores Dei: fecit circà eos miſericordiam de bonis temporalibus ſibi traditis ad diſpenſandum, dans ipſis oleum & triticum: oleum

quip-

(a) Nota quod deficientibus aliis operibus meritoriis, ſola Eleemoſyna protegit ad vitam æternam.

Digitized by Google

quippè compaſſionis, & triticum ſubventionis. Ad hoc ergo tendit iſta parabola; ut ſicut dedit de bonis Domini oleum & triticum; ſic & nos debemus pauperibus de bonis à Deo nobis traditis, oleum compaſſionis interioris, & triticum ſubventionis exterioris; quia bonorum nobis datorum, non domini, ſed diſpenſatores ſumus. In hoc autem quod plùs dedit de oleo, quam de tritico, in eo quod dixit: *Centum cados olei debes Domino meo; accipe cautionem tuam & citò ſcribe quinquaginta*: alio verò *Centum coros tritici debes, accipe literas tuas & ſcribe octoginta*. (*a*) In hoc autem quod plùs dedit de oleo quam de tritico, ſignificatur quòd plùs debemus compati affectu, quam poſſumus ſubvenire effectu.

Et laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet, (*b*) non quod adverſus eum fraudulenter, ſed pro ſe prudentem, ſecundum prudentiam hujus ſeculi: non tamen bene vel meritoriè egiſſet: non enim laudavit eum de fraude quam fecit, inquit Ludol-

(a) *Luc.* 16.6. (b) *Luc.* 16.8.

dolphus, ſed de prudentia & ingenio quo ſibi in futurum proſpexit: eſt namque prudentia, quædam ſibi in posterum providentia. Sic divites & commodi hujus mundi non ſunt laudabiles de deceptione in illicitis actibus; ſed de hoc quod prudenter ſe convertunt ad diſtribuendum bona in pauperes & piis operibus, ut per hoc provideant ſibi in futurum, tempore redditionis computorum Domino Deo noſtro, (a) quia ſecundum Ambroſium: ſola miſericordia comes eſt defunctorum. Ideo enim hæc ſcripta ſunt in Evangelio, ut audiendo prudentiores fiant, non autem, ut iniquitatis villicum imitando, fraudem vel injuſtitiam in aliquo agant; ſed prævideant judicium, in quo reddenda eſt ratio de omnibus hic operatis, ut per Eleemoſynas, proximique dilectionem, pauperes recipiant nos in æterna illa tabernacula; Nam per Eleemoſynas, paratæ erunt rationes, audientibus primam illam decretationem:

Red-

(1) *Ludolph. Chartuſ. de vit. Chriſt. par. 2. c. 15. de villico iniquitatis.*

Redde rationem villicationis tuæ. Siſte hic lector paululum cogità brevi te moriturum & coram tuo Judice CHRISTO ſiſtere te oportere. Audiant ſapientes hujus mundi,& ſtultam eorum ſapientiam deſerant, diſcant Dei ſapientiam & virtutem in Eleemoſynis poſitam quæ ſententiam Judicis propitiam nobis faciunt.

Ità Jobus, David, Salomon: Ità Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes, Paulus, Jacobus, cęterique Apoſtoli, ac totus Scripturarum chorus; ſic & alii viri Sanctiſſimi, qui Spirituſancto illuminati, locuti ſunt ſinè ambagibus; Judicium denunciant. *Requirite ergo diligenter in libro Domini & legite*. (a) Nunciorum abundè ſatis. *Ideoque*, inquit Paulus, *& nos tantam habentes impoſitam nubem teſtium, deponentes omne pondus & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum no[bi]s certamen*: Certamen ſcilicet cum Mundo, cum carne, cum diabolo, qui tres in unum concluduntur, ideſt contrà rerum omnium temporalium concu-

(a) *Iſa.* 34. 16.

piſcentiam, quæ pertinet ad corpus periturum. Bellandum eſt, *aſpicientes in Authorē fidei & conſumatorem* Jesum, *qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem, confuſione contempta, atque in dextera Dei ſedet*: (*a*) Ità & nos propoſito nobis gaudio contemnamus temporalia omnia, ut in viſione Beati Dei ſedeamus æternè. *Omnis autem diſciplina in preſenti quidem videtur non eſſe gaudij, ſed meroris: poſteà autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddit juſtitiæ: Propter quod greſſus rectos facite pedibus veſtris &c.* Sed quomodo greſſus rectos faciemus? Statim ipſemet Apoſtolus dicit: *Pacem ſequimini cum omnibus & Sanctimoniam, ſinè qua nemo videbit Deum.* (*b*) Pacem dicit contrariam litigio, ſinè qua pace nemo ſalvatur: Ergo quomodo inaniter ſperant litigantes in Curiis habere æternam pacem, & videre Deum ſicuti eſt, non exercentes hanc pacem cum omnibus, ſed litigantes contrà proximum fratrem in CHRISTO, & injuſtè vexantes in curiis pro vili intereſſe temporali?

(a) *Hebr.* 12.1. (b) *Hebr.* 12.11.

rali? tot inquietudinibus poſiti, & tot occaſionibus patrandi peccata? *Non enim diſſentionis eſt Deus, ſed pacis.*(*a*)Conſulant conſcientiam eorum. Pluries diximus cum Apoſtolo, quod *non alia ſcribimus vobis, quàm quæ legiſtis & cognoviſtis:* (*b*)Sed *cecinimus vobis & non ſaltaſtis*. (*c*)Nunciorum abundè ſatis. *Et nihil ſine voce eſt.* (*d*)

Hi nuncii quidem plurimi, & voces multæ, patroni autem nulli admittuntur: *Terra terra terra audi ſermonem Domini:* (*e*) *Surdi audite & cęci intuemini ad videndum*. (*f*)*Sed quis eſt in vobis qui audiat hoc, attendat & auſcultet futura?* (g) *Gens abſque conſilio eſt*, dicit Dominus, *& ſinè prudentia; utinam ſaperent & intelligerent, ac noviſſima providerent.* (*h*) Surdi & cęci, nec audire nec videre volunt: *Sed audient in die illa ſurdi verba libri, & de tenebris & caligine oculi eorum vident.* (*i*) *Si aures ſuas nunc aggravaverunt ne audirent, & cor ſuum poſuerunt ut adamantem, ne audirent legem.* (*k*) Oſten-

(a) 1.*Cor*.14.33.(b) 2.*Cor*.1.13 (c) *Matt*.11.17. (d) 1.*Cor*.14.10.(e) *Jerem*.22.29.(f) *Iſa*.43.18 (g) *Iſa*.42. 23.(h) *Deut*.32.28. (i) *Iſa*.28.18. (K) *Zaccar*.7. 12.

OStenderat Ezechieli Deus patentiſſimum campum oſſibus mortuorum aridiſſimis conſtratum. Juſſus eſt Vates eò loci oſſibus tamquam vivis hominibus concionari ac dicere: *Oſſa arida audite verbum Domini &c.* Extempiò audierunt & paruerunt dictis, & *acceſſerunt oſſa ad oſſa unumquodque ad juncturam ſuam*, itaut oſſa oſſibus; articuli articulis, nervi nervis, venæ venis, membranæ membranis jungerentur & adhæreſcerent tota articulatione ad motum, ad ſtabilitatem, ad omnem corporis actionem, ad arma etiam capienda bene compoſita; Nam *ingreſſus eſt in ea ſpiritus, & vixerunt, ſteteruntque ſuper pedes ſuos exercitus grandis valdè.*(a) Sed quid hoc? Certè quidem grande miſterium continet propter nos Chriſtianos: *Miſterium abſconditum ab origine mundi.* (b) Quid? Verbum Dei, in quo nihil vanum, nihil fruſtrà; omne verbulum, apices etiam & punctuli ſermonum Dei, miſterium continent abſconditum, ſolis bonis revelatum: *Impij autem*

(a) *Ezech.* 37.4. (b) *Coloſſ.* 1. 26.

Digitized by Google

tem omnes non intelligent: (a) *In figura contingebant illis*, ſcilicet hebræis, *ad quos fines ſæculorum devenerunt; dicta ſunt autem ad correctionem noſtram*. (b) Admonuit quidem Dominus Judæos, admonuit & nos, inquit Auguſtinus quod enim prætioſum ſonabat de ore Domini & propter nos ſcriptum eſt, & nobis ſervatum, & propter nos recitatum. (c)

Quid Civitates noſtræ ſunt, niſi oſſuaria, ubi alii alios corrodimus, ubi lites inter Chriſtianos, qui ſunt ſervi *Principis pacis*, (d) *& Domini pacis*. (e) Ubi odia & inimicitias jampridem ſepultas ab inferis excitamus, ubi oſſa ſinè lege ſparſa, ubi homines ſinè charitate viventes fętorem odiorum ſpargunt: Igitur *Oſſa arida audite verbum Domini*, oſſa arida, ſcilicet ſinè madore virtutum, ſinè calore charitatis proximique dilectione. Si cadavera carne nudata, nullo ſpiritu animata, Prophetæ tamen vocibus obtemperarunt:

(a) *Dan.*12.10. (b) 1.*Cor.*10.11.
(c) *S Auguſt. tract.*30.*in* Jo:*int.med. & fin.*
(d) *Iſa.*48,22. (e) 1.*Theſ.*5.23.

Digitized by Google

Quid vos rationis compotes, ſpiritu & fide animati, quorum vita CHRISTUS eſt: An Domini vocem imminente ejus morte editam non audietis? *Hæc mando vobis ut diligatis invicem.*(a) Mortui jubentur audire & obſequi; audierunt & obſecuti ſunt. Multo magis ò vivi, audite vocem Dei veſtri: *Hæc mando vobis.* Accedant igitur oſſa ad oſſa, unumquodque ad juncturam ſuam. Alter alterius defectus toleret & tegat; alter alteri condonet injurias: alter alteri conſilio, manu, facultatibus juvet. Hæ oſſium juncturæ, commiſſuræ ſunt articulorum: hæc charitatis lex eſt, ut quæ nobis ab alio fieri vellemus, eadem à nobis alteri fiant: quod ingratum aliis & exoſum novimus, id quantum licet & facere & dicere omittamus; quod verò ſcimus acceptum, illud & ſermone & actione, quoad permiſſum, repræſentemus, quod Paulus plurimum commendans: *Unuſquiſque veſtrum*, inquit, *proximo ſuo placeat in bonum ad ædificationem:* (b) debemus autem nos imbecil-

(a) *Joan.* 15.17. (b) *Rom.* 15.2.

cillitates infirmorum ſuſtinere & non nobis placere: *Deus autem patientiæ & ſolatij det vobis idipſum ſapere in alterutrum ſecundum* Jesum *Chriſtum, ut unanimes uno ore honorificetis Deum.*(*a*)Charitas oſſa etiam arida commiſſuris prorſus admirandis conglutinat.

Hæc mandat charitas, hæc mandat CHRISTUS. hæc tota lex Evangelica: *Hęc mando vobis, ut diligatis invicem.* (*b*) Sed quis paret juſſis? *Quis eſt hic & laudabimus eum?* (*c*) Si dives eſt, vel ſaltem non pauper; erit ei verbum Domini: *Manda remanda, manda remanda, expecta reeſpecta, expecta reeſpecta &c.*(*d*)Manda remanda &c. proverbium irriſionis eſt adverſus verbi Dei declamatores, (*e*) ſicut fusè in opere principali de ELEEMOSYNA explicabimus cap. XX. Sed non mirum ſi Dominus irriſus eſt, ſervi irrideantur. (*f*) Irridentur ab illis quia non *loquntur eis placentia*, (g) in concupiſcentia & amore ac tenacitate temporalium rerum commorantur, & ideo ve-

(a) *Rom.* 15. 5. (b) Jo: 15. 17. (c) *Ecc.* 31. 9. (d) *Iſa:* 28. 13. (e) *Gabr. Alvarez in Iſa:* 28. *verſ.* 10. *to.* 1. (f) *Luc.* 16. 9 & 14. (g) *Iſa:* 30. 10.

veritatem irrident Evangelicam, quæ contemptum præcipit terrenorum, & amorem ad iſta prohibet: mandat proximi dilectionem, Eleemoſynam, miſericordiam & charitatem, & qui non habet hanc dilectionem, ſed illam ad temporalia vana & caduca, vivus apparet, ſed verè mortuus eſt. *Qui non diligit manet in morte.* (*a*) Ubi litigium, ubi invidia, ubi odium vivit; ibi extincta eſt charitas. Audite quicunque vel litigium injuſtum, vel ſcintillam odii in alium fovetis; adverſus vos Joannes Apoſtolus clamat: *Qui non diligit manet in morte*; & quare? In controventione pręcepti eſtis: *Hęc mando vobis ut diligatis invicem.* (*b*) Aut obediendum aut moriendum eſt.

Omnia creata obediunt Creatori, ſolus homo reluctatur. O miſer quid reſiſtis? Aut obediendum, aut moriendum (*c*) eſt. Ubi nihil obedientiæ, nihil Divinæ gratiæ. Obedientiam porrò vel etiam ratione carentia, imò etiam ſenſu deſtituta exercent. Sol &

Lu-

(a) 1. Jo. 3. 14. (b) Jo. 15. 17.
(c) Reſiſtit homo voluntati & præceptioni Dei; certa mors imminet.

Luna obedierunt Joſue, Cęlum terra & mare Moyſi, cum illud tenebras offunderet, hæc Datan & Abiron. Aer & grando Samueli paruerunt, pluvia & ignis Eliæ: Venti & procellæ, diaboli & morbi, ac ipſa mors CHRISTO: Serpentes & colubri Apoſtolis: B. Antonio & aliis plurimis, feræ: B.Franciſco Aſſiſiati aves: B.Joſepho Anchietæ piſces, ſicut & B.Antonio Paduano, ac B. Orontio: B. Sergius Abbas, Leone: B.Gallus, Urſo: B.Norbertus Lupo, ad obſequium & uſus: B.Theodora, crocodilo velut navigio vecta eſt. Hoc ſcilicet cum homines nolunt Deo creatori obſequi, beſtiæ fiunt obſequioſæ. O miſer quid reſiſtis? Aut obediendum, aut moriendum eſt. Ab æterno igne non liberabit te fides nec Baptiſma, ſinè juſtitiæ operibus, inquit S.Nilus; Si enim CHRISTO mandata ejus te ſervaturum, promiſiſti; & quæ futura ſunt credis; ad gloriam contende ſempiternam; & flammeum gladium pertimeſce. Quod ſi Dei mandata non obſervas, nec te fidelem eſſe dicas. Omnes res procrea-

tæ Dei mandato parent: Homo autem per quem facta ſunt omnia illi non obtemperat. (*a*)

Memorantur duo Turcarum Principes, Muſtaphà qui Cyprum expugnavit, & Mahometes in colloquio cum Oratoribus Chriſtianis dixiſſe: Mirari ſe in Europa non ſeveriùs in rebelles ac ſeditioſos cives animadverti. Suum quidem Dominum uti pro ſymbolo his verbis: *Aut obediendum, aut moriendum*. Et hanc legem ab omni Principe inviolatam eſſe ſervandam. (*b*)

Revera Deus in ſervandis legibus hoc ipſum exigit: Aut obedi, aut mori. Ità Deus cum Adamo & ejus poſteris eſt pactus: Aut obediendum aut moriendum; Aut hujus arboris fructus non guſta, aut mortem tolera. Quod Auguſtinus inſigniſſimè oculis ſubiiciens: Homo, inquit, poſitus ſub præcepto, audivit à Domino Deo: Noli tan-

(a) *S. Nilus Abb. inſtit. ad monac. Petr. franc. Zino interp.*

(b) *Florimund. Ramund. lib. 4. de ortu hæreſ. c. 9. n. 2. mihi pag. 558.*

tangere. Quid? hanc arborem: Quid eſt enim illa arbor? Si bona eſt, quare non tango? Si mala eſt, quid facit in Paradiſo? Prorſus ideo eſt in Paradiſo quia bona eſt: ſed nolo tangas. Quare non tango? Quia obedientem te volo, non contradicentem ſervum. Serve audi prius Domini juſſum, & tunc jubentis diſce conſilium. Bona eſt arbor; ſed nolo tangas. Quare? Quia ego Dominus ſum, & tu ſervus es. Hæc tota cauſa eſt. Quid autem tibi expedit, niſi eſſe ſub Domino? Quomodo eris ſub Domino, niſi fueris ſub præcepto? Sola obedientia tenet palmam, ſola inobedientia invenit pœnam. (a) Aut obedi, aut mori. Optimè ergo *qui non diligit manet in morte*; quia Dominus præcipit: *Hæc mando vobis ut diligatis invicem*.

Sunt qui diligunt, ſed non ex charitate & dilectione propter Deum, ſed propter ſeipſos, non quia imago Dei eſt, quem propter Deum amandum eſſe oportet, ſed quia utilis, formoſus,

(a) *S. Auguſt. tom. 8. in Pſalm. 70 poſt med. mihi pag. 314.*

delectabilis . Amore maximè veraci eum proſequor , quem amo, quia oculis meis placet, (a) quia voluptati meæ paret , quia commodis meis ſubſervit . Caninus hic amor , qui non hominem ſed formam , ſed fortunam hominis amat . Hinc ſapientis dictum veriſſimum : *Amici divitum multi* . (b) Sic canis dominum ſuum amat , ut panis bucceam aut os obtineat , ſic & dominus canem aut equum amat , ut inde commodum aut oblectamentum capiat . Aliter CHRISTUS , aliter nos Paulus erudiens : *Finis præcepti* , ait , *eſt charitas de corde puro , & conſcientia bona , & fide non ficta* . (c)

Deinde amor in hominem ſit rectus ſeu compoſitus oportet . Charitas & compoſita & ordinata nemini quidquam invidet, non corporis, non animi dona, non opes , non ſcientiam , non virtutes, non ipſam beatitudinẽ . *Charitas patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irri-*

(a) Uſitatus amor hominum in homines propter proprium finem . (b) *Prov.* 14.20.

irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati: Omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Inſuper *nunquam excidit.* (*a*) Si Abelem Cain, ſi Joſephum fratres, ſi Davidem Saul ſeriò amaſſet, non eum tam gravi præſſiſſet invidia. Tu livor invidiæ, tu concupiſcentia & amor temporalium, tu proprius amor, tu tepor charitatis in cauſa es. Atque hinc oritur mala taciturnitas, hinc in laudandis aliis parcitas, ut etiam interrogati, quomodo ipſe aut ille ſe geſſerit, vix ſeriò frigidiſſimum illud, *Bene*, referamus. Ubi verò charitas eſt & verus amor, quàm pronis & propitiis auribus laudes aliorum audiuntur, & quantùm licet propagantur: quàm ardenter vota illa ingeminantur? *Frater noſter es, creſcas in mille millia, & poſſideat ſemen tuum portas inimicorum tuorum.* (*b*) Hæ charitatis fauſtæ acclamationes ſunt. Invidia & odium aliis, devorationibus & imprecationibus utitur: ut te corvi exoculent, ut te mille diaboli lace-

(a) 1. Cor. 13. 4. (b) Gen. 24 60.

cerent, ut te gehenna glutiat. Hæc odii devoratoria ſunt carmina. Hic charitas ſinè lege ſinè ordine confuſiſſima eſt. Quàm longè aliud eſt priſci ſapientis canticum illud: Deum ſequere; melior eſt venia vindicta; vidiſti proximum tuum? vidiſti Deum tuum: (a) *In tribus beneplacitum eſt ſpiritui meo, quæ ſunt probata coram Deo & hominibus*, inquit Siracides, *Concordia fratrum, & amor proximorum &c.* (b)

Sincerus proximi verus amor eſt, efficax & robuſtus: quod Joannes diſertiſſimè præcipiens: *Filioli*, ait, *non diligamus verbo neque lingua, ſed opere & veritate.* (c) Samaritanus Eques ille, hominis vulnerati, quem in via reperit; non tantùm miſertus eſt, ſed vulneribus inſuper oleum & vinum inſtillavit ut chirurgus, & ſaucium jumento ſuo impoſuit: Cum tamen aliàs Samaritani Judæos cane pejùs & angue oderint. Expendamus obſecro, ſed ſummatim, hoc Samaritani illuſtriſſimum factum, & obſequioſi amoris,

(a) Drexel. in Roſ. Mar. p. 1. c. 1. §. 4.
(b) Eccl. 25. 1. (c) 1. Jo. 3. 18.

Digitized by Google

ris, ſeptem admiranda inveniemus, in quibus perfecta charitas & copioſa Eleemoſyna multiplici conſpiciemus. I. Samaritanus fuit, & nihilominus tamen charitatis officium Judæo exhibuit, cum aliàs Samaritani & Judæi capitales eſſent hoſtes: *Non enim coutuntur Judæi Samaritanis*, (*a*) reſpondit Samaritis CHRISTO ad fontem. II. *Miſericordia motus*, cum nec Levites, nec Sacerdos illàc prætereuntes ulla miſeratione tangerentur. (*b*) III. Chirurgus fuit vulnerati, cujus plagas oleo & vino eluit: *& alligavit vulnera ejus*. IV. Auriga fuit miſeri; Nam *imponens illum in jumentum ſuum, duxit in ſtabulum*, ipſe pedes ſecutus. V. Xenodochus fuit Saucii, nam *curam ejus egit*. VI. Tribunus ærarius fuit ſpoliati; nam *protulit duos denarios & dedit Stabulario, & ait curam illius habe*. VII. Fidejuſſor fuit pro curando corpore extremè affecto; nam addidit: *Quodcumque ſupererogaveris, ego cum redie-* ro

(a) Jo: 4. 9. (b) Nota dilectionem & charitatem etiam inimicis præſtandam.
(c) *Luc. 10. 30. ad 35.*

ro reddam tibi. (*c*) En Chriſtiane, inimiciſſimos etiam & capitales hoſtes amore proſequendos. Inimici & miſeri, maximè proximi.

Conſiderate quæſo in conplures Chriſtianos gelidiſſimum ignem, mortuam charitatem. Eſt homo egenus & miſer qui tuam implorat opem, hunc tu defloccato palliolo, vel veſte attrita, vel prompto conſilio, vel brevi ſcriptiuncula, vel quadrantibus paucis, aut etiam pauculis verbis juvare potes, ſed reiicis. Et tu tuus huic inclementiæ ſit fucus & color, illud unicum culpæ prætexis: Juvet illum alius; ego non omnibus ſervio. Itàne Chriſtiane torpidiſſime, expeditum te cenſes crimine? Tibi CHRISTUS ab iride coram Orbe toto in os exprobrabit: *Quod uni de minoribus his non feciſti, nec mihi feciſti*: Ideoque dignus illa æterna maledictione: omnibus immiſeri cordibus juſta. *Ite maledicti in ignem æternum &c.* (*a*) ò terribile tonitru!

Non eſt verus amor, qui robuſtus non eſt. Charitas omnes in aliis defe-

ctus

(a) *Matth*. 25.42. & 46.

ctus tam naturæ ac corporis, quàm alios animi & fortunę tolerat, & quantum poteſt tegit & convelat. Charitas cum cœcis, claudis, ſenibus, indoctis, imprudentibus, ægris, egenis mitiſſimè agit ut mater, prout exortatur Paulus: *Non ſit ſchiſma in corpore, ſed id ipſum proinvicem ſollicita ſint membra: & ſi quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra &c. Vos autem eſtis corpus CHRISTI, & membra de membro*. (*a*) Ergo ſi membra de membro CHRISTI ſumus oportet membrum CHRISTI diligere, quod eſt proximus noſter qui membrum CHRISTI eſt. Vidiſti proximum tuum? vidiſti Deum tuum; & ſi non diligis Deum tuum & proximum tuum, manes in morte uti perduellis & inobediens primo & maximo præcepto Dei tui: *Qui non diligit manet in morte*, (*b*) quia in ſchiſma & lite cum membris ſuis, ſcilicet proximis ſuis; diviſis membris in corpore abſque pacifica unione, corpus corruit & deſtruitur: Sicut ſcriptum eſt: *Omne regnum in ſe diviſum de-*

(a) 1. Cor. 12. 25. (b) 1. Jo. 3. 14.

deſolatur , & domus ſupra domũ cadit (*a*) ſic etiam, *qui non diligit*, & diviſa habet membra ſua per litigium, *manet in morte*, corruit regnum ſuum & deſolatur, domus cadit, ſtare non poteſt, ideſt corpus & anima. Hæc Auguſtinus luculenter explicans: Pactum, inquit, & placitum cum Deo fecimus, & conditionem ſolvendi debiti in cautione ſubſcripſimus: *Dimitte nobis*, plena fiducia petimus: *ſi & nos dimittimus*. Si autem non dimittimus, dimitti nobis peccata non putemus. Ne nos ipſos fallamus. Humanum eſt iraſci; ſed non debet iracundia tua, natus ſurculus brevis, ſuſpicionibus irrigari, & ad trabem pervenire: Aliud eſt enim ira, aliud odium. Culpas in alio iram, & tenes odium in te ipſo? In comparatione odii, ira feſtucca eſt; ſed feſtuccam ſi nutrias, trabs erit. Si evellias & proiicias, nihil erit.

Antè annos non multos ægrotabat ex opulentioribus quiſpiam (teſtatur de viſu Eccleſiaſtes celeberrimus) monebatur is animum attollere ad alta, hæc fluxa miſſa faceret, jam Cœlo vici-

(a) *Luc.* 11.17.

Digitized by Google

cinus, oſtiolum Cęli aſpiceret. Ille altum ingemiſcens: Aſpicio, inquit, oſtiolum Cœli,ſed cerno clauſum: utinam ò utinam apertum eſſet: Hæc Drexelius ille venerabilis dicens: Audivi & ſpectavi hæc ipſe. (*a*) En oſtiolum Cœli clauſum non ſolùm habent ſed etiam vident omnes amantes divitias, appetentes, deſiderantes, & litigantes pro illis. Hæc talia hi tales morituri, judicio jam vicini, non temerè prolocuntur. Rea conſcientia hæc dictat axiomata. Quid ergo hic conſilii? Oſtiolum ſera multiplici firmatum, qua arte reſerandum? Pecuniam tuam nunc confla,& claves facito argenteas & aureas,iſtis,vel mille ſeras recludes, juxtà illud vulgatum: *Clavis aurea omnes portas aperit*, non tantùm hic in terris, ſed etiam in Cœlis. Ne verò claves tanti pretii perdantur: pauperibus eas committe perferendas, illuc perferent ſecuriſſimè ad aperiendas Cœli portas. *Et pecuniæ obediunt omnia*. (*b*)

Di-

(a) *Drexel. in Tribun.Chriſt lib.* 2.*c.*2.§ 4.
(b) *Ecc.* 10. 20.

Divitiæ ergo ſi diliguntur ibi ſerventur, inquit Auguſtinus, ubi perire non poſſunt. Honor ſi diligitur illuc habeatur, ubi nemo indignus honoratur. Salus ſi diligitur ibi adipiſcenda deſideretur ubi adepta nihil timetur. Vita ſi diligitur ibi acquiratur, ubi nulla morte finitur.(*a*) Igitur illuc feſtinate ubi ſemper vivatis: Si enim ſic amatis iſtam miſeram fluidamque vitam, ubi cum tanto labore vivitis; & ubi vix currendo, ſatagendo, ſudando, ſuſpirando, neceſſariis corporis ſatisfacitis; quanto magis amare debetis vitam æternam ubi nullum laborem ſuſtinebitis; nec ullo labore acquiritur, ſola voluntate adipiſcitur, ſolis pecuniis & miſericordiis mercatur, ſola Eleemoſyna conceditur: Ecce venale eſt Regnum Dei eme ſi vis. (*b*)

Hoc Raphael affirmantiſſimè teſtatus: & à nobis centies & millies refertus: Ipſa eſt *Eleemoſyna*, inquit, *quæ facit invenire miſericordiam & vitam æter-*

(1) *S. Auguſt. in Epiſt. & lib. de utilitat. agendæ pœnitent.* (b) *S. Aug. in lib. de ſpir. & anima.*

æternam: (*a*) *Ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coràm ſummo Deo Eleemoſyna omnibus facientibus eam. Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ità enim fiet, ut nec à te avertatur facies Domini. Premium bonum theſaurizas in die neceſſitatis.* (*b*) *Beatus* ergo *qui intelligit ſuper egenum & pauperem; in die mala liberabit eum Dominus.* (*c*) Dies mala & horrenda dies Judicii vel particularis vel generalis hominis; liberabitur in hac die, qui ad tribunal CHRISTI patrocinantem & advocantem habuerit Eleemoſynam. Sparge opes & conſervabis; abiice & augebis. Non habebis augmentum per litigium, ſed permittendo omnibus colligere *& carpere* (*d*) ſuperflua quæ habes abſque ullo litigio, & *qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas* (*e*) cum inſtantia & litigio compellendo. Sparge opes, *& non abſcondas ſub lapide in perditionem.* (*f*) Abiice & augebis.

Ve-

(a) *Tob.*12.9. (b) *Tob.* 4. 5.
(c) *Pſal.*40.20. (d) *Levit.*19.9.
(e) *Luc.*6. 31. (f) *Ecc.*29.13.

Veriſſimè dixit Seneca: Nemo cum ſarcinis enatat. (*a*) Non facundia, non divitiæ, non forma, non quidquã horum te Judici commendabit: Vita ſceleris pura & pudica Judicem conciliat. Divitiæ non amatæ, ſed contemptæ molliunt ſententiam quam formidamus.

Sed divitibus aut ſimplices commoditates habentibus, pecuniæ contemptum laudare inculcare, pœnè idem eſt (inquit Drexelius) quod ægrotum harmonia fidium ad choreas invitare. Benè canitur, eſto, organis peritè luditur, teſtudo ſcitè pulſatur, eſto, ſed æger non ſurgit, non movet ſe. Canit ſuaviſſimè CHRISTUS: *Beati pacifici: Beati miſericordes:*(*b*)*Eſtote miſericordes*. (*c*) Canit altiùs, ſed voce depreſſã & gravi: *Faciliùs eſt Camelum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in Regnum Cælorum*. (*d*) Audiunt hoc fortè divites, aut divitias amantes, aut pro divitiis litigantes, & pro re quæ ſuperflua eſt illis? Nemo ſe movet, nemo

(a) *Senec.Ep.22.* (b) *Matt.5.7.& 10.*
(c) *Luc 6.36.* (d) *Matt.19.24.*

mo ſaltat. Certè illud veriſſimum, quod in Evangelio legimus, & verba CHRISTI ſunt: *Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis.* (*a*) Ne mireris: Aurigene ſeu auri fame graviſſimè laborant. (*b*)

Optimus quidem concentus eſt: *Beatus vir qui poſt aurum non abiit*; (*c*) ſed illis longè melior cenſetur iſte: Beatus vir qui auri plurimum collegit. Qui in lectulis aureis & eburneis prætioſiſque lapidibus exornatis molliter cubant, beatos appellant eos, qui honeſtis & glorioſis laboribus vacant, licèt nequeant illos imitari. (*d*) Et hoc vulgatum in omnibus qui vident homines commodos divitias habẽtes, pecunias, opes &c. ſtatim dicunt: Beatus ille; ſed dicit Dominus *Popule meus qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt.* (*e*) *Nolite ergo eſſe ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus*: (*f*) *Hæc via eorum ſcandalum ipſis.* (*g*) Ipſis ſit ſcandalum non tibi. Quando autem erit tibi:

(a) *Matt.* 11.17. (b) *Drexel. in Trib. Chriſti lib.* 2. *c.* 2. §. 4. (c) *Ecc.* 11.8. (d) *S. Ephrem Sirus de vita ſpirituali*. (e) *Iſa.* 3.12. (f) *Pſal.* 13.11. (g) *Pſal.* 48.13.

bi? (inquit Auguſtinus) ſi putes quod beati ſint tales, ſi intelligas quia non ſunt beati, ipſis erit ſcandalum via ipſorum, non CHRISTO, non corpori ejus, non membris ejus: & *poſteà in ore ſuo benedicent.*(*a*) Quid eſt poſteà in ore ſuo benedicent? Cum facti fuerint tales, ut non quærant niſi bona temporalia, fiunt hypocritæ, & quando benedicunt Deum, labiis benedicunt, non corde. Tales Chriſtiani, quando illis laudatur vita æterna, & dicitur illis contemptores divitiarum eſſe debere in nomine CHRISTI, & pauperibus diſpenſare omnia ſuperflua, torquentur in corde ſuo; & ſi non audent in facie, ne erubeſcant aut ne corripiantur ab hominibus, in corde id faciunt, contemnunt, & remanet eis in ore benedictio, & in corde maledictio. (*b*) Laudant Eleemoſynas, *dicunt & non faciunt*. (*c*) ſicut Phariſei à CHRISTO objurgati. Dicere, facilè eſt eis, horrendum & luctuoſum facere; Cor enim appoſitum ad

(a) *Pſ.* 48. 13. (b) *S. Aug. enar. in Pſ.* 48. *par.* 1. *conc.* 1. *in fin. tom.* 1. (c) *Matt.* 13. 3.

Digitized by Google

ad divitias habent. Corpore ambulant in terra, corde non habitant in Cœlo: habitant in Cœlo, qui illuc per fidos bajulos pauperes aliquid mittunt quod ibi nos teneat: Nemo enim habitat corde (idem Auguſtinus loquitur) niſi unde cogitat. Inde autem cogitat ubi theſaurizat. Theſaurizavit in terra, cor ipſius à terra non recedit. Theſaurizavit in Cœlo, cor ipſius è Cœlo non deſcendit. (*a*) Domino apertè dicente: *Ubi eſt theſaurus tuus ibi eſt & cor tuũ.* (*b*) Cor ergo noſtrum teneamus in Cœlo; *Theſaurizemus in Cœlo; ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, ubi fures non effodiunt nec furantur*; (*c*) & de terrena beatitudine falſa vana & caduca non curemus; ſed de æterna vera & permanente in Cœlo. Habeant erronei homines mundiales beatitudines ſuas in terra, qui non ſperant beatitudinem in Cœlo. Habeant momentanea gaudia, ut luctuoſa triſtitia fulciantur æternè, ſi ab illo mutati nolunt recedere, nolunt intelligere & corde cuſtodire quæ

M CHRI-

(a) *S. Aug. loc. cit. conc. 2.* (b) *Matt. 6. 21.*
(c) *Matt. loc. cit.*

CHRISTUS veritas dicit: *Date & dabitur vobis:* (*a*) *Facite Eleemoſynas & ecce omnia munda ſunt vobis:* (*b*) *Hæc mando vobis ut diligatis invicem:* (*c*) *Miſericordes miſericordiam conſequentur &c.*(*d*)

Duriſſimum iis eſt ab ipſa meſſe diſcedere. Miſerias execrantur; ſed amant divitias miſeriarum mercedem. Itaque cupiunt, deplorant, & de earum rerum fuga loquuntur, quibus carere nolunt. Nimirum cupiunt inaniter cum ſarcinis enatare. Heu fatui! Nam Judex, cui brevi ſiſtentur, paupertatem docuit, & ipſe pauper fuit; opum contemptum, non tantùm ſuaſit, ſed & præcepit. *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ità & vos faciatis.* (*e*) Huic Judici divitiarum hoſti, divitiis & commoditatibus hujus mundi onuſti occurrere, non verentur. Proh inſani! Exitium invenient, ubi patrocinium ſperaverant. In hos Jacobus Apoſtolus vociferatur: *Judicium ſinè miſericordia illi, qui non fecit miſericordiam.* (*f*) Ergo quod monuimus, ad

oſtio-

(a) *Luc.* 6. 38. (b) *Luc.* 11. 41. (c) *Jo:* 15. 17. (d) *Matt.* 5. 7. (e) *Jo.* 13. 15. (f) *Jac.* 2. 13.

oſtiolum Cœli reſerandum, (*a*) claves fac argenteas & aureas, eaſque trade pauperibus eò deferendas. Perde opes ut invenias: *Perde pecuniam propter fratrem*, inquit Spiritusſanctus per Siracidem, *& non abſcondas illam ſub lapide in perditionem.* (*b*) In arcano ſingulari, imò & univerſali Judicio, nemo eloquentiùs, nec potentiùs partes patroni aget, ni ſola miſericordia. Judicis chirographum habemus: *Quod feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* (*c*) *Poſſidete Regnum.*

Hæc Chriſoſtomus conſiderans: Tantæ, inquit, ſumus negligentiæ, ut præferamus momentanea, ſemper manentibus, terram Cœlo; ea quæ avolant antequam habeantur, iis quę nunquam finem accipere poſſunt. Quouſque enim, dic quæsò, ità inſanimus in colligendis pecuniis? Quæ rabies cogit quotidie à tam moleſta concupiſcentia infeſtari & nunquam ſatiari, ſed deterius habere quam ebrii? Non videmus quod ij, qui ante nos fuere, quamvis

(a) Eleemoſyna portas Cœli reſerat.
(b) *Ecc.* 29. 13. (c) *Mat.* 24. 40.

totiùs Orbis victores eſſent; nudi & ſolitarii ex hac vita abrepti ſunt? Hoc tantùm inde conſecuti, quod rationes & pœnæ pro omnibus illic ab eis exactæ ſunt, & à talibus omnibus exigentur. Clariſſimum ſecreti Judicii teſtimonium. Addit: Idcircò obſecro ut cum tempus habemus, detergamus animæ ſordes, largis Eleemoſynis, ſicut ſcriptum eſt: *Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes.* (*a*) Nihil enim prorsùs ità nos eximere poteſt à gehenna ignis, niſi largitas Eleemoſynæ. (*b*) Gliſcentem flammam ſopimus aqua, imminentem gehennam extinguimus Eleemoſynis. Spirituſancto proclamante: *Ignem ardentem extinguit aqua, & Eleemoſyna reſiſtit peccatis.* (*c*) *Eleemoſyna viri quaſi ſacculus cum ipſo.* (*d*) *Eleemoſyna à morte liberat &c.* (*e*) *Eleemoſynas illius enarrabit omnis Eccleſia Sanctorum.* (*f*) in die illa tremenda, quando Cœli movendi ſunt & terra. Facite ergo Eleemoſynas & nolite ceſſa-

(a) *Galat.* 6. 10 (b) *S. Jo. Chriſ. to.* 1. *in c.* 12. *Geneſ. hom.* 31. *in fin. mihi pag.* 219. (c) *Ecc:* 3. 33. (d) *Ecc.* 29. 16. (e) *Tob.* 12. 9. (f) *Ecc:* 31. 11.

ſare, & *fugite à facie gladÿ*, ſcilicet à Judicio Dei, quia ultor *iniquitatis gladius eſt, & ſcitote eſſe judicium*. (*a*)

Eccleſiaſtes fideliſſimè monens, non ſinè acerbo riſu: *Lætare ergo Juvenis in adoleſcentia tua*, inquit, *& in bono ſit cor tuum in diebus juventutis tuæ, & ambula in vÿs cordis tui*, ſcilicet in deſideriis cordis tui, & concupiſcentiis tuis mundialibus, *& in intuitu oculorum tuorum*, hæc omnia per ironiam; ſed addit: *Et ſcito quod pro omnibus his, adducet te Deus in judicium*. (*b*) Sed forsàn hæc monita, non magni ducimus, idcirco CHRISTUS ipſe toties vociferatur & monet: *Operamini dum dies eſt; venit nox, quando nemo poteſt operari*; (*c*) ſed quænam eſt operatio? Illa certè quam declarat Paulus: *Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes*, (*d*) ad amicos & inimicos; bonum ſcilicet Eleemoſynam, miſericordiam, charitatem, quæ omnia in proximi dilectione concluduntur, ſicut nos ipſos. *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, ità & vos facite illis*. (*e*)

 Quæ-

(a) *Job*.10.29. (b) *Ecclſ*.11.9 (c) *Jo*: 9.4.
(d) *Galat*.6.10. (e) *Matt*.7.2

Quæri poteſt, quæ ars, quodve opificium maximam deſideret diligentiã? Videtur ſanè labor Typographicus ſummam exigere induſtriam; Nam Sutor unum alterumve acus errorem facilè teget & pictor, cœteris paribus; Typographus ſi vel litterulam unicam non ſuo loco, non ordine recto, intervallo non congruo ponat, in centum & plures annos errorem mittit. Nunquam non erraſſe dicetur: tanti eſt, vel ſemel, vel leviſſimum quid neglexiſſe. Ità & nos, dum in Orbe hoc agimus ſicut in officina Typographica ſumus; formas ponimus, prælum ducimus, volumina excudimus. Erramus? In omnem æternitatem abit error. Cum Zeuſide pictore quivis noſtrum dixerit: *Æternitati pingo*; quicquid demum faciam, Æternitati cuncta facio. Hinc jure meritiſſimo non mediocris, non mollis, ſed ſumma exigitur diligentia, idque in rebus omnibus, cum omnia æternitati facienda ſint. Nos ſæpiſſimè, quod apud Typographos frequens eſt, formulas peritè collocamus, ſed ignaviter imprimimus,

be-

bene ſtatuimus, ſed malè ac ſegniter exequimus, deeſt nervus, diligentia deficit, languor omnia corrumpit in re tanti momenti: De æterna vita res eſt, aut de æterna morte; inſcii rapimur negligentia maxima. Rex Joſaphat omnibus ſui Regni adminiſtris ſolertiam perſuaſurus exortatione quàm maximè ſeria: *Videte*, ait, *quid faciatis, &c. Sit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite.* (*a*) Nunquam enim bene fit, quicquid honeſtæ rei negligenter fit; eò fortiùs in rem, quæ æternitatem concludit. O' ÆTERNITAS, ÆTERNITAS! Æternum bene, æternum male! Hæc æternitas in puncto concluditur particulari judicio hominis, qui redditurus eſt rationem de omnibus hic operatis, an benè, an malè, an diligenter ſcilicet perfectè, an negligenter bonum, ideſt imperfectè: *Omnes nos*, vociferatur Paulus, *manifeſtarì oportet antè Tribunal CHRISTI, ut referat unuſquiſque propria corporis pro ut geſſit, ſive bonum ſive malum:* (*b*) *Ego ſum Judex & teſtis*, (*c*) dicit

M 4 Do-

(a) 2. *Parali*. 9. 17 (b) 2. *Cor*. 5. 10 (c) *Hiere*. 29. 24

Dominus. *Qui legit intelligat:* (*a*) *& qui habet aures audiendi audiat*(*b*) verba Dei. *Sed ut video*, cum Jobo dicam, *non ſunt longævi ſapientes, nec ſenes intelligunt judicium.*(*c*)O' Domine da veram intelligentiam hominibus tuo ſanguine redemptis; inſpiratio enim Omnipotentis dat intelligentiam. O' Domine: *Columnæ Cœli contremiſcunt & pavent ad nutum tuum*, (*d*) *& montes ſicut cera fluxerunt à facie tua*; (*e*) & homo terrenus averſatur, non pavet non contremiſcit, audit quaſi non audiat; tranſeunt verba Dei in auribus ejus, ut res parvi momenti, nihil impreſſionis, nihil timoris incutendo, nihil vitæ mutationis, nihil operationis boni, ſaltem formidine pœnæ; quia in Inferno nulla eſt redemptio.

Recogitemus igitur fratres in Chriſto JESU dilectiſſimi: JUDICIUM; & quod in unum de duobus incidere neceſſe eſt: Aut ad delicias, aut ad pœnas SEMPITERNAS. Sententia Judicis eſt: aut vincere litem cum diabolo, aut

(a) *Mat.* 24.15. (b) *Jo.* 14.35. (c) *Job.* 32.9. (d) *Job.* 26.11. (e) *Pſal.* 96.5.

aut perdere: Aut ad æternam Beatitudinem Beati Dei aſcendere, aut ad æternam damnationem dęmonum deſcendere: & hoc infallibiliter decretum eſt à ſummo Deo Judice in curia Cœleſti. Credis in hoc mi Chriſtiane? Si credis, litiga nunc taliter, cum diabolo omni conatu tuo, omni induſtria, omni labore & diligentia, ac tota mente tua, totaque anima tua, ut hanc litem quam cum illo habes, vincas: vincere enim in noſtra poteſtate eſt, ſi volumus: nobis omnibus dictum eſt: *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata:* (*a*) Non conſentias contrario tuo, inſidiatori tuo, *neque credas inimico tuo in æternum*. (*b*) Sic vinces non conſentiendo illi, ſed Deo, & voluntati Dei, non tuæ voluntati conformatus in omnibus juſtis vel injuſtis, quæ tibi nunc videntur: ſemper enim juſta erunt omnia in oculis Dei, & judiciis ejus nobis terrenis hominibus inexcrutabilibus. Sic vinces cœciter conſentiendo Deo amico fideli, non tentationi, inſtigationi & perſuaſioni inimicorum

(a) *Mat.* 19, 17. (b) *Ecc.* 12. 10.

tuorum, qui potentiſſimi ſunt ad tentandum in malum, diabolus, mundus, & caro. Credis in hoc? Si credis, cogita judicium: cogita æternitatem gloriæ, æternitatem pœnæ *& in æternum non peccabis*; (*a*) Si ſeriò & moroſe tota mente tua, tota anima tua cogitabis; *Apprehendes vitam æternam*; (*b*) & nunc *Miſterium abſconditũ ab origine mundi* (*c*) revelabitur tibi ad æternam ſalutem capeſſendam: Quoniam *ibis homo in domum æternitatis tuæ, & revertetur pulvis in terram ſuam unde erat & ſpiritus redibit ad Deum qui dedit illum*: (*d*) *Si hæc ſcitis, beati eritis, ſi feceritis ea*, (*e*) quæ ad æternitatem beatam perducunt: Ergo *Apprehende vitam æternam*. (*f*)

O' ÆTERNITAS, ÆTERNITAS!

Sed antequam ad noſtram theſim redeamus, hic aliquantulum poſt priora tam ſeria pauſeamus, lector, & animum curis tam arduis, remittamus: verſiculos cum Drexelio miſceamus, ut de lectione & oratione, tranſeamus ad Pſalmodiam: *Triſtatur aliquis veſtrum, oret*;

(a) *Ecc.*7.40. (b) 1.*Tim.*6.7. (c) *Coloſ.*1.26. (d) *Ecc.*12. 5. ( ) *Jo*:13.17. (f) 1. *Tim.*6. 7.

oret; æquo animo eſt, Pſallat. (a) En illi

Æternitas, Æternitas!
Æternitas amata:
Plùs centies, plùs millies
Æternitas Beata!
Amor tuus me languidum
Verſatque dividitque,
Ah! mens amore deficit,
Amore cor liqueſcit!
Nam falſa mundi gaudia.
Vaniſſimaſque curas,
Quis neſcit eſſe ſomnia
Meriſſimaſque nugas?
Ne falſa jactes gaudia
Sunt fluxa, ſunt caduca;
Non vera ſunt hæc gaudia
Quæ lacrymis rigantur.
Quamplurimis proſperrima
Permixta ſunt periculis.
Nec melle quæ ſunt illita,
Solent carere felle.
Aſtra Aſtra fundunt gaudia
Dolore mixta nullo,
Quæ nec queant volubilis
Perire lege fati.
O' terra terra ſordida

M 6 Va-

(a) *Jac.* 5. 13.

Digitized by Google

Vale vale perenne.
O' Munde munde perfide
Vale vale perenne.
Æternitas Æternitas!
Æternitas amara
Plùs centies plùs millies
Æternitas Beata!

SEd redeamus ad propoſitum noſtrum, ſepoſitis limitationibus, diſtinctionibuſque, quas firmas remanere intendimus: Quicquid dicimus de perfectione, ac de litigio ſive juſto, ſive injuſto; ſivè contrà pauperem, vel non pauperem; ſive ab habente ſuperfluū, ſive à non habente, ſicut expedit perficere pro utilitate legentium; Deus dividit gratias ſuas & intelligentias. *Alius quidem ſic, alius verò ſic*. (*a*) Sed nos ad hoc ſcribimus, ut *lucerna pedibus tuis Verbum Dei, & lumen ſemitis tuis*. (*b*) Deus verò dat incrementum gratiæ ſuæ. Et ideo humana prudentia, limitando & diſtinguendo, nihil intereſt. hoc tantùm intereſt: *lucerna pedibus tuis Verbum Dei*, & incrementum gratiæ, *dividens ſingulis pro ut vult*, (*c*) ut ad rectam

(a) 1.*Cor*.7.7. (b) *Pſ*.118.115 (c) 1.*Cor*.7.11.

ctam intelligentiam deveniant legentes, & perficiant opere, facientes quod in ſe eſt, & juxtà quod Spiritusſanctus inſpiraverit unicuique legentium Verbum Dei, toto hoc capite contrà litigantes.

Facta jam hæc præfatiuncula redeamus ad locutionem noſtram, ut perficiantur omnia, quæ ſpiritus vult; & quæ ſpirat: *Nemo enim poteſt dicere, Jesus, niſi in Spirituſancto*: (a)*In quo & laboro, certando ſecundum operationem ejus quam operatur in me virtute.* (b) Dicam cum Bernardo: Eſt enim mihi aliquid commune cum Sanctis, in voluntate dumtaxat, non in merito. (c) Dic mihi frater, Dei imago, cur litigas? cur contrixas in curiis pro vili intereſſe, & pro re ſuperflua, quæ tua non eſt, ſed Dei? Ipſe dicit: *Mea enim ſunt omnia.* (d) Et ſi pars adverſa eſt in neceſſitate conſtituta, & adſtricta ad litigandum, ſubveniendi gratia neceſſitati ſuæ: quomodo oppugnas pro ea, quæ tua non ſunt ſuperflua, ſed Dei, & proximi

(a) 1.*Cor.*12.3. (b) *Coloſſ.*1.29. (c) *S.Bern. Ep.*185. *ad Innoc.Pap.* (d) *Exod.*13.3.

Digitized by Google

mi egeni? Quod ſinè ullo litigio, etiam teneris de ſuperfluis tuis, ex præcepto, alterius neceſſitati ſuccurrere. Dicente Gregorio: Si indigentibus neceſſaria miniſtramus, ſua illis reddimus non noſtra largimur. (*a*) Quomodo ergo oppugnantes & litigantes, præceptum Domini obſervabimus *de proximi dilectione ſicut nos ipſos*, (*b*) non facientes quod in nos eſt? Quomodo gratia Dei erit nobis aſſiſtens, ut intelligamus, & opere perficiamus? An Deus indiget noſtro conſilio & providentia, ut diſponamus in diſtributione, ſi, vel ne? Si ſic diſpoſita ſunt à Deo, cur concuteris & defluis, qui debes aſſiſtere terribili judicio Dei, & ponere rationem de omnibus hic operatis? (*c*) Quid reſpondebis ad *Angelum habentem in manu ſua Evangelium æternum*? (*d*) in quo habetur: *Qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas*, (*e*) ac *Dilige proximum tuum ſicut teipſum*, (*f*) etiamſi malus ſit, qui aufert, aut fur, vel non pauper in neceſſita-

(a) *S. Greg. in Paſtor.* (b) *Matt. 19. 20.*
(c) *S. Io. Chryſ. ho: 10. in 1. ad cor. moral: 10: 4.*
(d) *Apoc. 14. 16.* (e) *Luc. 6. 31.* (f) *Mat. 22. 39.*

ſitate conſtitutus,aut etiam pauper bonus, vel malus. Satage & intuere oculis cordis tui attentè hæc verba Domini: *Qui aufert quæ tua ſunt ne repetas. Ego autẽ dico vobis non reſiſtere malo &c.* ſcilicet malo homini, *& qui vult tecum in judicio contendere*, nota ly in judicio, ſcilicet litigando coràm Judice, *& tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium: & quicumq; te angariaverit mille paſſus, vade cum illo alia duo.* (*a*)Sinè hoc enim mandato, inquit Chryſoſtomus, legis mandatum ſtare non poteſt; quia ſi ſecundum legis mandatum, (*b*) omnibus reddere mala pro malis ceperimus, omnes efficiemur mali, eo quod perſequentes abundent: Si autem ſecundum CHRISTI præceptum, *non reſiſtitur malo*, & ſi mali non leniuntur, tamen boni permanebunt boni: (*c*) *Qui habet aures audiendi audiat.* (*d*) Prudens auditor, inquit Hugo, omnes libenter audit, omnia legit, non perſonam, non ſcripturam, non doctrinam ſpernit, ab om-

(a) *Matt.5.39.* (b) *Lev.24.19.* (c) *S.Jo.Chriſ. ho:12.in Oper.imperf. à med.illius tom.2.*
(d) *Mat.13.9.*

Digitized by Google

omnibus indifferenter; quod ſibi deeſt, & quod deeſſe videt, quærit, non quantum ſciat, ſed quantum ignorat, conſiderat: (*a*) Et ideo Auguſtinus dicere ſolitus: Si me potes docere quod neſcio, non ſolùm verbis, ſed etiam pugnis deberem patientiſſimè ſuſtinere. (*b*) Hoc non obſtante, verum eſt quod dicit Seneca: Quidam veniunt, ut audiant, non ut diſcant, ſicut in theatrum voluptatis cauſa ad delectandas aures, oratione, vel voce, vel fabulis ducimus: magnam hanc partem auditorum videbis, quibus Philoſophi ſchola, aut libri, diverſorium otii ſit: non id agunt ut aliqua in illo & propter illos, vitia deponant, ut aliquam legem vitæ accipiant, qua mores ſuos erigant, ſed ut oblectamento aurium perfruantur. Aliqui etiam cum pugillaribus veniunt, non ut res accipiant, ſed ut verba, quæ tam ſine profectu alieno diſcant, quàm ſine ſuo audiunt; ità libri leguntur conſiderando, quid Author eruditionis habeat, quid florum ſcateat,

quid

(a) *Hugo de S. Vict. in ſuo Didaſcalicon.*
(b) *S. Auguſt.*

quid doctrinæ & acquiſitæ ſcientiæ, ut criticent, non ut diſcant ad profectum, ut mores corrigantur mali, & vitam mutent ad ſalutem animæ; Ideoque Dominus in Evangelio, repetita lectione pluries inculcat: *Qui legit intelligat, & qui habet aures audiendi audiat.* (*a*)

SEd aliud autem injuriarum eſt genus, inquit Auguſtinus, quod integrum reſtitui poteſt, cujus duæ ſunt ſpecies. Una ad pecuniam, altera ad opera pertinet; undè de primo horum duorum ſubdit: *Et ei qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Sicut ergo quod poſitum eſt de percuſſa maxilla, omnia ſignificat, quæ ſic ingeruntur ab improbis, ut reſtitui non poſſint, niſi vindicta: Ità, quod poſitum eſt de veſtimento, omnia ſignificat, quæ poſſunt reſtitui ſinè vindicta: (*b*) Et hoc etiam ad præparationem cordis, non ad oſtentionem operis præceptum rectè

(a) *Marc.13.14.& Matt.13 9.*
(b) Nota attentè, & diligenter conſidera aurea, & pręclara Sententia Auguſtini.

ctè intelligitur. Et quod de tunica & veſtimento dictum eſt, in omnibus faciendum eſt, quæ aliquo jure temporaliter noſtra eſſe dicimus. Si enim de neceſſariis hoc imperatum eſt, quanto magis ſuperflua contennere convenit? Et hoc ipſe ſignat cum dicit: *Qui vult tecum in judicio contendere*. Omnia ergo intelliguntur de quibus in judicio nobiſcum contendi poteſt. (*a*)

Indigna autem res eſt, firmat Chryſoſtomus, ut homo fidelis ſtet in judicio antè conſpectum Judicis infidelis, vel ſi fidelis ſit, certè ſæcularis, & qui te venerari debuerit propter dignitatem fidei, judicat te propter neceſſitatem cauſæ, & perdes dignitatem CHRISTI propter negocium mundi. Deinde *omne judicium, irritatio cordis eſt & cogitationum malarum*. Nam ſi videris quod cauſa tua fraudibus, aut pecuniis expugnetur, (*b*) & ſimiliter tu, cauſæ tuæ adeſſe feſtinas, etſi ab initio hoc conſilium non habuiſti. (*c*) Apo-

(a) *S. Auguſt. de ſerm. Dom. in mont. lib.* 1. *cap.* 39 *paul. à princ. to.* 4. (b) Quàm clarè ac veraciter loquitur os aureum Chryſoſtomi.

(c) *S. Jo. Chriſ. ſuper Matt. hom* 2. *in oper. imperf. inter med. & fin. to.* 2.

Apoſtolus Paulus claris verbis abſq; ullo ſenſu contrario, ad literam è Spiritu ſancto proclamat contrà litigantes in curiis dicens: (a) *Sed frater cum fratre judicio contendit &c. Jam quidem omninò delictum eſt in vobis*, nota ly omninò, *quia judicia habetis inter vos*. (b) Et ne quiſquam hoc excuſaret, & diceret (inquit Auguſtinus) juſtum ſe habere negocium (nota ly *juſtum*, ſcilicet juſta causa, juſta lite) ſed iniquitatem ſe pati, quam vellet à ſe judicii ſententia removeri; continuo talibus cogitationibus occurrit atque ait: *Quare non magis iniquitatem patimini? Quare non potius fraudamini?* (c) Ut ad illud redeatur, quod Dominus ait: *Si quis voluerit tunicam tuam tollere, & in judicio tecum contendere, dimitte illi & pallium.* (d) Et alio loco, inquit: *Qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas.* (e) Prohibuit itaque ſuos de ſæcularibus rebus cum aliis habere judicium. Ex qua doctrina dicit Apo-

ſto-

(a) Audiat litigans hæc verba Apoſtoli, eaque rectè conſideret, & cōſulat conſcientiam ſuam.
(b) 1. *Cor*. 6. 6. (c) 1. *Cor*. 6. 7. (d) *Matt*. 5. 39.
(e) *Luc*. 6. 31.

ſtolus eſſe delictum. Tamen cum ipſe Apoſtolus ſinit in Eccleſia talia judicia finiri inter fratres, fratribus judicantibus: extrà Eccleſiam verò terribiliter vetat. Manifeſtum eſt etiam hic, quod ſecundum veniam concedatur infirmis, (*a*) ſcilicet peccatoribus, & dicit *veniam concedatur*, quando hæc delicta cognoſcuntur, & confitentur ab illo mutati.

Sed nota etiam ly, *hic, quod ſecundum veniam concedatur infirmis*, quod dicit Auguſtinus: Ipſemet enim explicat dicens: Ne quis poſſit dicere Apoſtolum intellexiſſe tantùm de incontinentibus: *Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum Imperium*. (*b*) Etiam hic, ſcilicet in hoc loco idem intelligitur: Quis autem (inquit Sanctus Pręſul) jam eſſe peccatum neget? (*c*) (*Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me Domine* (*d*)) cum dare ſe veniam facientibus, Apoſtolica authoritate fateatur.

Ta-

(a) *S Auguſt. in Enchirid. c.77. tom 3.*
(b) *1. Cor. 7. 6.* (c) Nota quanta peccata non cognita, & tamen peccata ſunt, & de illis reddere debemus rationem in die Judicii.
(d) *Pſal. 18. 13*

Tale quiddam eſt, ubi dicit: *Audet aliquis veſtrum habens negocium adverſus alterum, judicari apud iniquos, non apud Sanctos?* Et paulo poſt: *Sæcularia igitur judicia, ſi habueritis*, inquit, *qui contentibiles ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad judicandum: ad verecundiam veſtram dico, ſi non eſt inter vos quiſquam ſapiens, qui poſſit inter fratrem ſuum judicare? ſed frater cum fratre judicio contendit, & hoc apud infideles?* Nam & hic poſſit putari judicium habere adverſus alterum, non eſſe peccatum, (*a*) ſed tantummodo id extrà Eccleſiam velle judicari; niſi ſecutus adjungeret: *Jam quidem omninò delictum eſt in vobis quod judicia habetis inter vos.* (*b*) Concludit Spiritusſanctus ore Siracidis, brevibus notis omnia hæc de litigio complectens; ait enim imperativo modo: *Abſtine te à lite, & minues peccata.* (*c*) Ad hæc verba Spiritusſancti, nemo poteſt cum logica Auguſtini, antè converſionem ſuam, argumenta & ſyllogiſma producere. ne-

(a) Nota attentè quid ſit curiale litigium in hac præclara explicatione Auguſtini.

(b) *S. Auguſt. in Enchir. c. 77. tom. 3.* (c) *Ecc. 28. 10*

nemo audax erit, diſtinctiones, politicas, ac mundiales aſſertiones contrà literalem, ſive grammaticalem ſenſum Spiritusſancti tergiverſare ac diſtorquere ſententiam: *Sermo totus veritas eſt,* (a) *fidelis ſermo & omni acceptione dignus*. (b)

Sunt autem quædam, idem Auguſtinus loquitur, quæ leviſſima putarentur, niſi in Scripturis demonſtrarentur opinione graviora: *Quis enim dicentem fratri ſuo, fatue, reum gehennæ eſſe* (c) putaret, niſi Veritas diceret? Cui vulnere ſubiecit, continuo medicinam, præceptum fraternæ reconciliationis adjungens: *Si ergo offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adverſum te &c.* (d) Aut quis exiſtimaret quàm magnum peccatum ſit, dies obſervare, & menſes, & annos, & tempora; (e) ſicut

(a) Jo. 17. 18. (b) 2. *Tim.* 2. 11. & 1. *Tim.* 4. 9. (c) *Matt.* 5. 22. (d) *Matt.* 5. 23. (e) Conſidera quanta peccata non cognoſcunt Chriſtiani in conſcientia erronea viventes; & ideo non converſtentur ad pœnitentiam; licita enim putant & non peccaminoſa, & tamen Auguſtini ſententia, magna peccata ſunt.

Digitized by Google

ſicut obſervant, qui certis diebus, ſive menſibus, ſive annis, volunt, vel nolunt aliquid inchoare: eo quod ſecundum vanas doctrinas, hominum fauſta, vel infauſta exiſtiment tempora; niſi hujus mali magnitudinem ex timore Apoſtoli penſaremus, qui talibus ait: *Timeo ne fortè ſinè cauſa laboraverim in vobis*. O magna peccata cum in uſum venerint, aut parva, aut nulla eſſe creduntur. (*a*) Sicut eſt illud Hiſpanum falſum proverbium: *Ni de viernes, ni de martes, ni te caſes, ni te partes*; (*b*) quod multi Itali etiam obſervant, quaſi gentiles eſſent ac Judæi, non Chriſtiani: *Judæi enim ſigna petunt & Græci ſapientiam quęrunt*; Sapientiam ſcilicet ab hominibus non à Deo. *Nos autem prędicamus CHRISTUM* (*c*) Dei Sapientia. *O Domine, delicta quis intelligit? ab occultis noſtris munda nos*. (*d*)

Occulta enim delicta litigiaque homines Chriſtiani, Evangelium pacis ſe-

(a) *S. Auguſt. in Enchirid. c. 78. to. 3.*
(b) De obſervantibus ſignis, habes plura in opere principali de Eleemoſyna cap. XVII.
(b) *1. Cor. 1. 22.* (c) *Pſ. 18. 13.*

Digitized by Google

ſectantes, non intelligunt, tamquam licita, ſeu non peccaminoſa habentes in exercitio; ſed peccaminoſa ſunt propter gravia peccata quæ ſequntur, & occaſiones multas peccatorum quæ demonſtrat excellens in arte Theologus conſumatus, excellens in doctrina, excellens in Sanctitate Raymundus in ſumma dicens: Vitium quod attenditur circà converſationem; quia litigioſus ſolet eſſe adulator, proditor, detractor, maledicus, invidus, joculator, ſcurrilis, & ad injuriam ulciſcendam facilis, (*a*) quæ omnia gravia peccata ſunt & à litigiis oriuntur; Optimè igitur inquit Apoſtolus: *Jam quidem omninò delictum eſt in vobis, quod judicia habetis inter vos*. (*b*) O quàm multi, multi vivunt in erronea conſcientia, & multi, multi etiam è cętu literatorum & qui ſcrutantur teſtimonia Dei, allucinati ab amore proprio, & ab humana ratione perſepè erronea & fallaci: *Gigantes gemunt ſub aquis*: (*c*) *Vnuſquiſque enim in via ſua erraverunt*; (*d*) quia *non ſa-*

(a) *S. Raym. de Peniafort in ſumm. lib. 3. tit. 11. mihi pag. 281.* (b) *1. Cor. 6. 6.* (c) *Job. 26. 5.* (d) *Iſa. 47. 15.*

ſapiunt quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum. (a) in humana prudentia & acquiſitis ſcientiis ſunt; de qua inquit Paulus: *Prudentia carnis mors eſt: prudentia autem ſpiritus, vita & pax. Sapientia carnis inimica eſt in Deum; legi enim Dei non ſubiicitur.* (b) Hoc ab erronea conſcientia habetur. *Sapientia tua & ſcientia tua decepit te.* (c) *O Domine illumina oculos noſtros, ne unquam obdormiamus in morte: nequando dicat inimicus meus, prævalui adverſus eum.* (d) O Domine libera nos ab erronea conſcientia, *ab occultis noſtris munda nos.* (e) *Fili David miſerere noſtri*, quid? *Ut videamus*; (*f*) ſed ut videant omnes homines *ſapientes quorum cogitationes vanæ ſunt*, (g) & ab erronea conſcientia declinent, ac veritatem intelligant: Scrutare debent Scripturas. Scrutamini ergo, *ſcrutamini*, non ſolùm *Scripturas*, (h) & non tantùm *Requirite diligenter in libro Domini & legite*; (*i*) ſed etiam experimento probate; quanta peccata à li-

N ti-

(a) *Matt.* 16. 23. (b) *Rom.* 8. 6. & 7. (c) *Iſa.* 46. 10. (d) *Pſ.* 12. 4. (e) *Pſ.* 18. 13. (f) *Luc.* 18. 42. (g) *Pſ.* 93. 11. (h) Jo: 5. 36. (i) *Iſa.* 34. 16.

tigiis oriuntur, licèt juſta ſit cauſa litigandi; nam ſi videris (inquit Chryſoſtomus, ut ſupra diximus) quod cauſa tua juſta, fraudibus, aut pecuniis expugnetur, quomodo eris ſinè ira, ſinè odio, atq; vindicta? Etſi in ſola voluntate, quomodo linguam tuam refrenabis, & in maledicentiam non incides, in occaſione litigandi poſitus? Vera quippè eſt ſententia Spiritusſancti, per Siracidem proclamata, qui prohibet litigare & in judicio contendere dicens: *Abſtine te à lite, & minues peccata*, (a) ſcilicet in multis peccatis non incides: Ceſſet ignis & incendium non fit: tolle occaſionem & non erit de facili peccatum.

Sed latiùs ſe declarat Chryſoſtomus: Expertus loquitur, experto crede, nec alium quæras. Chryſoſtomus enim curiam exercuit in foro verſanti; ipſe enim fuit Advocatus primariuſque Orator in Antiochia; ſed valdè periculoſum animæ ac tumultuoſum expertus, abdictum voluit, & diſpenſatis pauperibus divitiis à Patre relictis in Ere-

(a) *Ecc.* 28. 10.

Eremum ſe contulit, ſacræ lectioni continuò addictus: Ipſe enim expertus eſt qui loquitur dicens: Omne judicium irritatio cordis & cogitationum malarum. Si ſemel in judicium ingreſſus fueris, jam non deſideras ut veritas cauſæ appareat, ſed ut quocumque modo victor exiſtas. (a) Si autem videris quod cauſa tua, ſicut frequenter ſolet fieri in judiciis, aut verbis, aut fraudibus, aut pecuniis expugnetur; neceſſe eſt ut & tu, aut verbis, aut fraudibus, aut pecuniis cauſæ tuæ adeſſe feſtines. Et ſi ab initio conſilium non habuiſti, ut ſic ageres; poſtea ſic agere, ipſius controverſiæ neceſſitas te compellit. Nam primò pro lucro tantummodo feſtinabas, poſtea jam pro pudore contendis. Et magis contentus etiam peccare, tantùm ut vincas, quam vinci tantùm, ne pecces. Hæc Deus illis mandat, qui magis diligunt Deum quam mundum; Nam qui lucrum animæ magnum eſſe exiſtimat, damnum rei, modicum putat: & qui damnum rei magnum exiſtimat, lu-

(a) Aurea ſententia aurei Oratoris.

crum animæ minimum putat. Qui ergo difficiliùs putat rem dimittere, quam in judicio introire, hoc cogitet, quia difficilius eſt de judicio ſine peccato exire. Faciliùs eſt enim antè judicium rem dimittere, quam in judicio evitare peccatum. Nam antè judicium, ſicut diximus, una cauſa avaritiæ compellit, poſt ingreſſum, etiam cauſa pudoris. (*a*) Et qui unam cauſam vincere non potuiſti propter timorem Dei, duas quomodo vinces? Ergo ſicut Joſeph dimiſit pallium in manu meretricis, & fugit cum meliore pallio caſtitatis; (*b*) ſic & tu proiice pallium in manus calumniatoris, & fuge cum meliore velamento juſtitiæ; ne fortè dum vis vindicare veſtem corporis, precioſiſſimum animæ veſtimentum perdas. Deinde ſi viderint infideles te Chriſtianum pro injuriis injurias rependere graviores, pro terrenis facultatibus, & uſque ad perniciem animæ ſæcularia pulſare judicia contrà direptorem injuſtum: quomodo credant ſpem Regni

(*a*) Difficile eſt de judicio ſinè peccato exire.
(*b*) *Gen.* 39. 12.

gni Cœleſtis eſſe veram quam prædicant Chriſtiani? Facile enim ſpernunt terrena, qui Cœleſtia ſperant. Qui autem terrena magnopere complectuntur; neſcio ſi firmiter Cœleſtia credunt promiſſa.(*a*) Hæc Chryſoſtomus. Ergo, *Abſtine te à lite & minues peccata*.

Hæc verba Domini, fratres in Chriſto JESU dilectiſſimi legite, *audite & intelligite*, (*b*) ſicut Magiſter præcipit, ac ſeriò conſiderate; ſi fortè audiant litigantes, & Spiritusſanctus illuminet corda ipſorum: & ideo continua repetitione recitamus, ut peccata minuantur: *Abſtine te à lite & minues peccata*: Sicut enim inſtruere ſolet collatio, inquit S. Præſul Iſidorus, ità deſtruit contentio: Hæc enim relicto ſenſu veritatis, lites generat: & pugnando verbis, etiam in Deo blaſphemiam facit. Tantaque eſt in his perverſitas, ut veritati cedere neſciant. In diſputatione fidelium, cavenda eſt propoſitio & artificioſa ſubtilitas, quæ callidis obje-

(a) *S. Jo. Chriſ. hom. 12. ſuper Matt. 5. ex Op. imperf. tom. 2. mihi pag. 272. col. 2. lit. B.*

(b) *Matt. 5. 10.*

ctionibus, retia tendit: Ità enim verſutis aſſertionibus pravorum, diſputatio innodatur, ut recta eſſe ſimulent, quæ perverſa perſuadent. (*a*)

Hæc *delicta quis intelligit* (*b*)è cętu litigantium? *Non eſt qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo dicens: quid feci?* (*c*) Tentaris à diabolo litigando, ſed non cognoſcis: & hoc non cognoſcere, major tentatio eſt. Maxima ſpes eſt recuperandæ ſalutis, fontem noſſe languoris: (*d*) Initium ſalutis, notitia peccati, inquit Moralis; Nam qui peccare ſeneſcit, corrigi non vult. Quare vitia ſua nemo confitetur? Quia etiam nunc in illis eſt. Somnium narrare vigilantis eſt; & vitia ſua confiteri, ſanitatis indicium eſt. Expergiſcamur ergo ut mores noſtros coarguere poſſimus. (*e*) Omnia enim vitia in aperto leviora ſunt: morbi quoque ad ſanitatem tunc inclinant cum ex abdito erumpunt ac vim ſuam proferunt: Et avaritiam & ambitionem cęteraq; vitia mentis huma-

ma-

(a) *S. Iſidor. Hiſpalenſ. lib. 3. de ſum. bon.*
(b) *Pſ.* 18. 13. (c) *Jerem.* 8. 6. (d) *S. Valerius in ſerm.* (e) *Sen. Ep.* 54.

manæ, tunc pernicioſa ſcias eſſe, cum ſimulata ſanitate ſubſidunt. (*a*) Et tunc protervos melius corrigimus, inquit Gregorius, cum ea quę benè egiſſe credunt, malè acta monſtramus; ut undè adepta gloria creditur, indè utilis confeſſio & pœnitentia ſubſequatur. (*b*) Ipſa enim cognitio culpæ, ait Hugo, impetratio veniæ erit apud Deum Judicem. (*c*)

Præſtantiſſima ad omnia hæc eſt medicina, tribulatio, ad cognoſcenda occulta peccata: quia *Virga aut correptio tribuit ſapientiam*, (*d*) ſicut ſcriptum eſt: *Sola vexatio intellectum dabit auditui*. (*e*) Pœna nos interrogat (confirmat Gregorius) ſi culpam veraciter cognoſcimus, (*f*) ſed graviſſimus nodus in ligno, non poteſt expelli, niſi graviſſimo oppreſſorio. (*g*) Ità litigantibus in litigiis innodatis, graviſſimo oppreſſorio opus eſt, ut à litigiis ipſi avertantur, ſcilicet repetita lectione,

 di-

(a) *Sen. Ep.* 57. (b) *S. Greg. in Paſtoral.* (c) *Hugo lib.* 1. *de anima c.* 15. (d) *Prov.* 29 15.
(e) *Iſa.* 28. 19. (f) *S. Greg. lib.* 22. *moral:*
(g) *S. Ambr. in c.* 21. *Mat.*

dilucidatione & correctione: licèt egrè ferant, dicentes: *Loquimini nobis placentia:* (a) *Odi eum quia non prophetat mihi bonum ſed malum:* (b) *Recede à nobis & ſcientiam viarum tuarum nolumus.* (c) Extinguere intendit curias, & abolere etiam officia & exercitia cum quibus victum & veſtitum ac ſtatum habemus. (*)

Cum Evangelio Chriſti JESU reſpondetur: *Qui de terra eſt, de terra loquitur.* (d) *Malus homo de malo theſauro cordis ſui profert mala.* (e) Homo de malo theſauro cordis ſui hæc eructat, qui chriſtianam reſpuit perfectionem. Ideoque falluntur ſæpe hominum ſenſus in judicando, falluntur & amatores ſęculi viſibilia tantummodo amando; *Non*, enim, *ſapiunt quæ Dei ſunt ſed ea quæ hominum.* (*f*)

Sed quid ad nos? Sufficit nobis ex omnibus legentibus & audientibus has Evangelicas veritates, ſi unus tantùm audiat & corde intelligat, ac opere perficiat: *Fratres mei*, quaſi digito demon-

(*) Objectiones litigantium.
(a) *Iſa.* 30.10. (b) 3. *Reg.* 22.8. (c) *Job.* 21.14.
(d) *Jo.* 3.31. (e) *Mat.* 12.35. (f) *Mat.* 16.23.

monſtrat Jacobus, *ſi quis ex vobis erraverit à veritate, & converterit quis eum: ſcire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore vitæ ſuæ, ſalvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* (*a*) & ipſa Veritas proclamat in Evangelio, quod: *Gaudium erit coràm Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.* (*b*)

Sed etſi deſtrueretur Curia, officia & exercitia illius: non per hoc providentia Dei non erit quibus quondam curiales erant: Hæc enim Dei providentia *pluit ſuper juſtos & injuſtos, & Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos.* (*c*) Ipſemet Dominus dicit, imò præcipit: *Nolite ſoliciti eſſe animæ veſtræ quid manducetis: neque corpori quid induamini. Anima plùs eſt quam eſca, & corpus pluſquam veſtimentum. Conſiderate corvos, quia non ſeminant, neque metunt, quibus non eſt cellarium neque horreum, & Deus paſcit illos. Quanto magis vos plures eſtis illis?* (*d*)

Vellem certè & utinam hoc quod

(a) Iac 5. 19. (b) *Luc.* 15. 10. (c) *Mat.* 5. 45. (d) *Luc.* 12. 22. & *ſeq.*

opponitur adimplerctur, ut omnes homines ſalvi fierent per Evangelium pacis & proximi dilectionem abſq; litigiis peccaminoſis: Sed CHRISTUS in Evangelio demonſtrat, non omnes homines, eorum culpa, ſalvos eſſe: quia *lata & ſpacioſa porta perditionis, & multi intrant per eam: ſed arcta via & anguſta porta quæ ducit ad vitam, & pauci intrant per eam*. (*a*) Igitur ex multis in curiis litigantibus ſufficit nobis, etiam abſque abolitione curiæ, ſi pauci ab illo mutati, & ſaltem unus ex his multis litigantibus & legentibus hæc verba Dei, *induat novum hominem, veterem* litigioſum *deſerendo cum actibus ſuis*, (*b*) & proficiat in bonum ad æternam ſalutem; ut *gaudium ſit coràm Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente*; (*c*) *& nos ſalvabimus animam noſtram à morte, & operiemus multitudinem peccatorum noſtrorum*. (*d*) *Omnia enim facio propter Evangelium*, verba Apoſtoli non illicitum credimus uſurpare, *ut particeps ejus efficiar: Neſcitis quod ij, qui in ſtadio*

(a) *Matt.7.14.* (b) *Coloſ.3.9.* (c) *Luc.5.10.* (d) *Jac.5.20.*

Digitized by Google

dio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis. Omnis autem qui in agone contendit ab omnibus ſe abſtinet; & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. (*a*) Nota ly omnes currunt, ſed unus accipit bravium, ità nos deſideramus, & ſufficit nobis, ut de omnibus legentibus hæc verba Dei, unus ſaltem accipiat bravium, ſcilicet coronam incorruptam in Cœleſti Hieruſalem per lectionem hanc, *induendo novum hominem*, litigioſum *veterem deſerendo cum actibus ſuis*. Hoc tantùm eſt quod nobis urget & coquit; in hoc tota res agitur: de verbis verò hominum mundialium, perpaululum intereſt, quibus diſplicet Evangelica audire ſibi non placentia, quia impediunt pravam eorum voluntatem; pravumque carnis deſiderium. Volumus coagulare pacem à CHRISTO nobis relictam; iſti inter ſe miſcent diſſentionem. *Qui exaſperant*, ſive *qui amaricant, non exaltentur in ſemetipſis*. (*b*)

(a) 1. *Cor.* 9. 23. (b) *Pſal.* 65. 7.

Scriptum eſt, quod *illuminans Deus mirabiliter à montibus æternis*: ſed *conturbati ſunt omnes inſipientes corde*. (*a*) Prædicata eſt veritas, dicta eſt æterna vita, dicta eſt eſſe alia vita, quæ non eſt de iſta terra. Contempſerunt, inquit Auguſtinus, homines vitam præſentem, & amaverunt vitam futuram, illuminati per montes illuminatos: Inſipientes autem corde conturbati ſunt. Quomodo conturbati ſunt? Dum Evangelium prædicatur. Et quid eſt vita æterna; & quis eſt qui reſurrexit à mortuis? (*b*) Admirati ſunt Athenienſes, loquente Paulo de reſurrectione mortuorum, & putaverunt eum neſcio quas fabulas dicere: Sed quia dicebat eſſe aliam vitam, *quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit*; (*c*) inſipientes corde turbati ſunt. Sed quid iſtis talibus contingit? Declarat Apoſtolus dicens; *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis*. (*d*) Amaverunt præſentia & dormie-

(a) *Pſal* 75. 4. (b) *S. Auguſt. enarrat. in Pſ.* 75. *tom.* 8. (c) 1. *Cor.* 2. 9. (d) *Pſal.* 75. 5.

mierunt in ipſis præſentibus: & ſic illis facta ſunt ipſa præſentia delitioſa, quomodo qui videt per ſomnium inveniſſe theſauros, tandiù dives eſt quandiù non evigilet. Somnium illum divitem fecit, evigilatio pauperem. Tales ſunt & iſti. Venerunt in hanc vitam, & per cupiditates temporales, quaſi obdormierunt hic, & exceperunt illos mundialia commoda, & vanæ pompæ volaticæ, & tranſierunt: non intellexerunt quantum indè boni poſſent fieri, ſcilicet, *Declinare à malo, & facere bonum*. (*a*) Nam ſi noſſent aliam vitam, illic ſibi theſaurizarent quod hic erat periturum, juxtà Evangelium. (*b*) *O Domine tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi tunc ab ira tua?* (*c*) Modò dormiunt, & iratum non ſentiunt, ſed ut dormirent iratus eſt. Modò quod dormientes non ſentiunt, in fine ſentient. Apparebit enim Judex vivorum & mortuorum. *Et quis reſiſtet tibi tunc ab ira tua?* Modò enim loquuntur quod volunt, & diſputant contrà Deum, contradicentes & contrafacien-

(a) *Pſal.* 36. 27. (b) *Luc.* 12. 33. (c) *Pſal.* 75. 7.

cientes *Evangelio æterno quod prædicatum eſt omni creaturæ quæ ſub Cælo eſt.* (*a*) Dormitis & blanditis, loquimini adverſus Deum & prædicatores Dei quantum poteſtis. *Uſquequo peccatores Domine, uſquequo peccatores gloriabuntur: Reſpondent, & loquntur iniquitatem?* (*b*) Quando autem, ſequitur Auguſtinus, nemo reſpondit & nemo loquitur, niſi quando ſe in ſe convertat? Quando in ſe convertent dentes, quibus modò nos rodunt, quibus nos diſcerpunt irridendo, & reprehendendo? Tunc ſe in ſe convertent cum illis eveniet quod dicitur in lib: Sapientiæ: *Dicent inter ſe pænitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes &c. Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperii* &c. *Ergo erravimus à via veritatis, & juſtitiæ lumen non luxit nobis* &c. (*c*) O qui multum dormitis, ſcilicet in temporalibus rebus hujus mundi, certè jam evigiletis; & in veſtris manibus nihil invenietis. (*d*) Vultis aliquid invenire in mani-

(a) *Marc.* 16. 15. (b) *Pſal.* 93. 3. (c) *Sap.* 5. 3. *& ſeq.* (d) *S. Aug. tom.* 8. *enarrat. in Pſal.* 75.

nibus veſtris poſteà, nolite contemnere modò manum pauperis, reſpicite manus inanes, ſi vultis habere manus plenas: dicit enim Dominus: *Eſurivi & dediſtis mihi manducare &c. quod enim uni ex minimis iſtis fratribus meis feciſtis, mihi feciſtis*. (*a*)

Eſurire in pauperibus voluit, qui dives in Cœlo eſt: & tu dubitas homo dare homini cum ſcias te CHRISTO dare quod das, à quo accepiſti quicquid das. Sed illi *dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum*. Melius nos eum audimus qui dicit: *Surge qui dormis & exurge à mortuis, & illuminabit te* CHRISTUS. (*b*) Surge qui dormis ò litigans, ſurge à ſomno concupiſcentiæ terrenorum ut te CHRISTUS illuminet, & ab erronea conſcientia divertas per lumen Evangelicæ veritatis: *Abſtine te à lite, & minues peccata*. (*c*) Melius & fructuoſius erit miſerendo, compatiendo & tolerando proximum fratrem noſtrum, quam litigando cum illo; & ſi pauper eſt,

(a) *Matt*. 25.34. *& ſeq*. (b) *Eph*. 5. 14.
(c) *Ecc*. 28. 10.

Digitized by Google

eſt, paupertate communi, potiùs facere illi bonum, adjuvando & ſuccurrendo in ſuis occurrentibus neceſſitatibus, quam cum litigio inquietare pro re quæ tua non eſt ſed Dei & pauperum Dei, *Abſtine te à lite, & minues peccata:* (*a*) Melius eſt animæ tuæ, inquit Ambroſius, ſinè lite abire, quam cum jurgio reſidere. (*b*) *Qui habet aures audiendi audiat.* (*c*)

Scimus quod veritas odium parit: Veritas quantumcumque Evangelica ſit: hoc non obſtante: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere Charitatē.* (*d*) Etiam ſi debuiſſem dicere cum Paulo: *Inimicus vobis factus ſum, verum dicens vobis,* (*e*) non tacebo veritatem Dei, ſed ſemper clamabo & vociferabo; Licet *facta ſit veritas in oblivionem, & qui receſſit à malo, prædæ patuit, quia corruit in platea veritas.* (*f*) *Si autem veritatem dico,* verba Magiſtri uſurpem, *quare vos non creditis mihi?* (g) ſed *odio habuerunt me gratis.* (*h*) Satagite & expectate pau-

(a) *loc. cit.* (b) S. *Ambroſ. in lib. de Patriarch.* (c) *Matt.* 13.9. (d) *Cant.* 8.7. (e) *Galat.* 4.16. (f) *Iſa.* 59.15. (g) *Jo.* 8.47. (h) *Jo.* 15.26.

paululum, & *citò apparebit vobis*, (*a*) & cognoſcetis, aut in vita aut in morte, veritatem, quæ à Deo eſt: *Sermo totus veritas eſt.* (*b*) Dicente Domino: *Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt.* (*c*) *Hæc omnia liber vitæ, & teſtamentum Altiſſimi, & agnitio veritatis.* (*d*)

Liberiùs in veritate loquar cum Joſue: *Ego & domus mea ſerviemus Domino.* (*e*) Ego *pro juſtitia & veritate uſque ad mortem agonizare* (*f*) volo, ſicut mihi præcipit Spiritusſanctus; quia *Deus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo:* (*g*) *Et ſi Deus pro nobis, quis contrà nos?* (*h*) *Dominus diſſipat conſilia agentium,* reprobat autem congregationes populorum, *& reprobat conſilia Principum:* (*i*) *Domine fortitudo mea, & robur meum, & refugium meum in die tribulationis.* (*k*) Si Deus dat poteſtatem dæmonibus & malis hominibus, & permittit illis ut alios perſequantur: *Calix quem mihi dedit*

(a) *Sap.* 6. 6. (b) *Jo.* 17. 18. (c) *Mat.* 24. 35. (d) *Ecc.* 24. 32. (e) *Joſu.* 24. 16. (f) *Eccl.* 4. 33. (g) *Pſ.* 17. 6. (h) *Rom.* 8. 31. (i) *Pſal.* 32. 10. (K) *Jere.* 16. 19.

Digitized by Google

dit Pater non bibam? (*a*) Bibam certè; quia dicit nobis filius Patris: *Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur: non eſt major ſervus Domino ſuo.* (*b*) At verò roborat nos Paulus dicens: *Et in nullo terreamini ab adverſariis, quæ illis eſt cauſa perditionis, vobis autem ſalutis.* (*c*)

Sed redeamus ad propoſitum noſtrum, ſequendo Gregorium dicentem: Quidam, dum temporalia nobis rapiunt ſolummodo ſunt tolerandi. Quidam verò ſunt, ſervata charitate, prohibendi; non ſolùm cura, ne noſtra ſubtrahant, ſed ne rapientes non ſua, ſemetipſos perdant. Plùs enim ipſis raptoribus debemus metuere, (*) quam rebus irrationabilibus inhiare. Cum autem pro terrena re, pax à corde cum proximo ſcinditur, apparet quod piùs res, quàm proximus amatur (*d*) & per conſequens nulla beatitudo erit illis; Beatitudo enim juxtà Evangelium CHRISTI, pacificis repo-

(a) Jo. 18. 11 (b) Jo. 15. 20. (c) *Philip.* 1. 28.
(*) Nota quomodo litigantes controveniunt præcepto de proximi dilectione pro re temporali. (d) *S. Greg. in moral. lib.* 1. *c.* 39. *tom.* 4.

poſita eſt tanquam Dei filiis: *Beati pacifici quoniam ipſi filij Dei vocabuntur.*(*a*) Ergo concludit Gregorius: Si Dei vocantur filii, qui pacem faciunt & exercent; proculdubio ſatanæ ſunt filii qui pacem confundunt, (*b*) non habentes pacem pro temporalium concupiſcentia. Quietiſſimam (ideſt pacificam, inquit moralis) quietiſſimam vitam agerent homines in terra, ſi hæc duo verba à natura omnium rerum tollerent, ſcilicet: MEUM, ET TUUM. (*c*)

A Deo percipimus omnia: quod autem dicimus meum, & tuum, (placet multoties repetere verba Chryſoſtomi) nuda tantùm ſunt verba: Si namque domum, tuam aſſeris, emiſiſti verbum carens ſubſtantia rei: Nam & aer, & ſolum, & cementum, Creatoris ſunt. Tu etiam ipſe, qui domum conſtruxiſti; ſed ſi tuus ſit uſus dubitatur, non ſolùm propter mortem, ſed etiam propter rerum eventus. Anima tua non poſſidetur à te, & quo pacto tuæ reputabuntur opes? &c. ſed propter ne-

fan-

(a) *Matt.*5.10. (b) S.*Greg.in Paſtorali*.
(c) *Senec. in lib. de morib.*

Digitized by Google

fandam opum cupidinem homines in curiis conrixãtur, contrà quos CHRISTUS ait: *Et qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas.* (a) *O Domine adauge nobis fidẽ,* (b) *& adjuva incredulitatem noſtram* (c) ut verbis tuis, fide viva & non mortua credamus: credamus non tantùm verbo, ſed opere, & credendo, & operibus perficiendo, digni efficiamur promiſſionibus tuis, uti Chriſtiani ſapientes.

Secùs verò facientes: *Audite & intelligite* (d) fratres in Chriſto JESU dilectiſſimi, quid Apoſtolus Jacobus dicat de fide quæ ab operibus, ſecundum fidem non comitatur: ſicut pluries recitavimus, & ſemper in continua repetitione erimus juxtà Chryſoſtomi doctrinam; quod frequenter ipſa eadem audire etiam ſcientibus prodeſt: quod enim novimus, ſi ſæpius audiamus, ampliùs compungimur; (e) *Fides,* inquit, *ſinè operibus mortua eſt. Quid proderit fratres mei ſi fidem quis dicat ſe habere*

(a) *Chryſ. hom. 10. in 1. ad Cor. in mor. tom. 4.*
(b) *Luc. 17. 6.* (c) *Marc. 9. 24.* (d) *Matt. 15. 10.*
(e) *S. Jo: Chryſ. ſerm. 2. ſuper Ep. Paul. ad Hebr.*

bere: opera autem non habeat? Nunquid poterit fides ſalvare eum? Si autem frater aut ſoror, proximi ſcilicet noſtri, *nudi ſint, & indigeant victu quotidiano: dicat autem aliquis ex vobis illi: Ite in pace, calefacimini & ſaturamini: non dederitis autem eis, quæ neceſſaria ſunt corpori. Quid proderit? Sic & fides, ſi non habeat opera mortua eſt in ſemetipſa* &c. Hoc forsàn non intelligis tu qui, magnum quid, Chriſtianum te eſſe profiteris? Ut intelligas & ſcias; ſequitur Apoſtolus: *Tu credis quoniam unus eſt Deus: Benefacis; & dæmones credunt, & contremiſcunt &c.* & poſt Abrahæ & Rahab exemplum, cum alia ſimilitudine concludit ad magis claram intelligentiam, dicens: *Sicut enim corpus ſinè ſpiritu, mortuum eſt: ità & fides ſinè operibus mortua eſt.* (*a*) Fides verò mortua, fides non eſt (inquit Anſelmus) qui ergo mortuam fidem habet, fidem non habet; ſcilicet fides mortua, eſt informis & ſine vita, licet ſit vera fides; (*b*) ut exponit Auguſtinus:

(*a*) *Jac. 2. 14. & ſeq.* (*b*) *S. Anſelm. in opuſc. de orat. devotiſs., orat. 62. ad S. Paul. Apoſt.*

Digitized by Google

nus: (*a*) *Hi confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant*; (*b*) quia *labijs me honorant*, dicit Dominus, *cor autem longè eſt à me*. (*c*) Fides ergo horum mortua non valens ſalvare eos, qui confitentur ſe noſſe Deum, operibus autem negant Deum; *O Domine adauge nobis fidem, & adjuva incredulitatem noſtram*, ut fide viva credamus verbis tuis, ſcilicet fide & operibus, ut veri Chriſtiani. *Non enim omnis qui dicit: Domine Domine, intrabit in Regnum Cœlorum; ſed qui facit voluntatem Patris, qui in Cœlis eſt*. (*d*) Hi non litigant ad invicem, ſicut Judæi, quia Chriſtiani ſapientes.

Ad hæc ergo omnia, quid reſpondebis tam injuſte litigans, & agens contrà dilectionis prçceptum, litigans & conrixans in vita tua, ac judæizans? juxtà illud: *Litigabant ergo ad invicem Judæi*. (*e*) *Homo enim perverſus ſuſcitat lites*. (*f*) Dices certe cum omni cçtu injuſte litigantium: *Erravimus à via veritatis*, ſcilicet in Evangelio nobis demonſtrata, *& juſtitiæ lumen non luxit* no-

(a) *S. Auguſt. in Monolog. c. 77. aliàs cap. 75.*
(b) *Tit. 1. 16.* (c) *Matt. 15 8 & Iſa. 29. 13.*
(d) *Matt. 7. 21.* (e) *Io: 6. 53.* (f) *Pro. 16. 28.*

nobis, & Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis: Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles: viam autem Domini ignoravimus. (*a*)

Hanc viam Domini ignorabant Judæi, & ideò litigabant, ſicut ignorant non pauci Chriſtiani, non obſtante quod jejunabant, decimas dabant, aliaque bona opera faciebant: ſed dicit Dominus, non ſolùm Judæis, verùm etiam omnibus Chriſtianis: *Ecce ad lites, & contentiones jejunatis &c. nunquid tale eſt jejunium quod elegi, per diem affligere hominem animam ſuam?* (*b*) Ecquid eſt per diem affligere animam ſuam, niſi affligere eam peccatis litigando; cum priùs dixit: *Ecce ad lites & contentiones jejunatis*, & poſtea: *Nunquid tale eſt jejunium quod elegi, per diem affligere hominem animam ſuam?* ſcilicet litigando, & per litigium in diem peccando: *per diem*, ideſt continue, & repetitis multis peccatis; Lis enim eſt occaſio multorum peccatorum: etiam per illud quod lis eſt contrà præceptum dilectionis, dum litigantes olores ſunt met-

(a) *Sap. 5. 6.* (b) *Iſa. 58. 4.*

metipſarum animarum, ac aliarum: & rationem declarat Salomon, qui figuram tenuit Salvatoris, quia in profundum peccatorum ſunt, qui contemnunt injuſtè litigando impii: *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit: ſed ſequitur ei ignominia & opprobrium*. (*a*)

Quia Judæi, dicit Auguſtinus, panem concordiæ non intelligebant (ut noſtra tempeſtate litigantes in curiis non intelligunt) unde dicitur: *litigabant ergo Judæi &c.* qui autem manducat talem panem (ut verus & non falſus Chriſtianus, panem illum ſcilicet qui dixit: *Ego ſum panis vivus, qui de Cœlo deſcendi* (*b*)) non litigat ad invicem, nam per hunc Deus habitare fecit unanimitas in domo, (*c*) ſcilicet per gratiam & pacem, quæ eſt in illo pane, quem CHRISTUS dicit: *Hoc eſt Corpus meum*: (*d*) Litigantes verò, & confidentes in hoc pane, indignè ſumentes: *Cum dixerint pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperveniet interitus*;

(a) *Prov.18.3.* (b) *Jo: 6.51.* (c) *S. Auguſt. tract. 26. in Jo. à med. tom.9.* (d) *Luc.22.19.*

tus; (*a*) Nam Deus noſter, cum *Deus pacis ſit*, (*b*) non poteſt habitare cum litigantibus & conrixantibus ad invicem. Iſti enim: *Viam pacis neſcierunt*, (*c*) per quam viam beatificantur pacifici, ſicut ſcriptum eſt in Evangelio: *Beati pacifici, quoniam ipſi filij Dei vocabuntur.* (*d*)

Regnum Dei non conſequentur injuſte litigantes (teſtatur Apoſtolus) in quibus *manifeſta ſunt opera carnis*, numerando in ea, *contentiones*, *æmulationes*, *iræ, rixæ*, *diſſentiones &c. & his ſimilia*, quæ omnia in litigantibus exiſtunt, *quæ prædico vobis, ſicut prædixi: quoniam qui talia agunt Regnum Dei non conſequentur*. (*e*) In opera enim carnis ſunt iſti tales litigantes in curiis, vel extrà: *Cum enim ſit inter vos zelus & contentio*, inquit Paulus: *Nonne carnales eſtis, & ſecundum homines ambulatis?* (*f*) Illi verò qui ad invicem non litigant, & non ſunt in opera carnis hæc, ſed ſpiritus; habent ſpiritus fructus, quos idem Paulus numerat: *fructus autem ſpiritus*

 eſt;

(a) 1. *Theſſ*. 5. 3. (b) 1. *Theſſ*. 5. 22. (c) *Iſa*. 59. 8.
(d) *Matt*. 5. 9. (e) *Galat*. 5. 19. (f) 1. *Cor*. 3. 3.

eſt; Charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas; adverſus hujuſmodi non eſt lex. Qui autem ſunt CHRISTI, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs, & concupiſcentijs. Si Spiritu vivimus, ſpiritu & ambulemus: non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes; (a) ut conrixantes & litigantes faciunt.

Proh dolor, videmus enim in noſtris curiis, Chriſtianos conrixare, & litigare, non obſtante quod Dominus noſter *loquetur pacem in plebem ſuam*; non obſtante quod Deus noſter *non ſit Deus diſſenſionis, ſed pacis*: (b) *Nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſæcularibus, ut ei placeat cui ſe probavit*. (c) Sed neſcio, quomodo dicunt forſan quotidie Pſalmum Deo loquentes: *Audiam quid loquatur Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam*, (d) conrixantes, & litigantes in curiis, pro vili intereſſe cum proximo fratre noſtro, *& carne de carne noſtra, & oſſa de oſſibus noſtris*? (e) Quo-

(a) *Galat* 5. 22 (b) 1. *Cor*. 14. 33. (c) 2. *Tim*. 2. 4.
(d) *Pſal*. 84. 8. (e) *Gen*. 2. 23.

Digitized by Google

Quomodo habebunt iſti pacem illam, *quæ Dei gratia eſt ad vitam æternam*, (*a*) quam reliquit CHRISTUS diſcipulis ſuis, & omnibus Chriſtifidelibus, ex tunc, quando propè erat tempus aſcendendi ad Patrem, dicens: *Pacem meam relinquo vobis, pacem meam dò vobis?* (*b*) Pax iſta eſt illa, *in qua vocati eſtis in uno corpore, & grati eſtote*, (*c*) non ingrati paci Dei vobis datæ, conrixantes ſinè charitate invicem litigantes: *Quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt, & redundant flumina ejus in conculcationem & lutum & non eſt pax impijs, dicit Dominus*. (*d*) Impiis, ſcilicet perverſis & malis hominibus: *Homo enim perverſus ſuſcitat lites*; (*e*) *Et ſemper jurgia quærit malus: Angelus autem crudelis mittetur contrà eum*. (*f*) Chriſtiani mali qui litigioſi ſunt, quærentes jurgia adverſus proximum, mittetur contrà eos Angelus malus, ideſt diabolus crudelis contrà hominem. O miſer quomodo defenderis ab Angelo malo tam valido & potenti, crudeli & irato contrà

(a) *Rom*. 6. 23. (b) *Jo*: 14. 27. (c) *Coloſ*. 3. 15. (d) *Iſa*. 57. 20. (e) *Prov*. 16. 28. (f) *Prov*. 17. 11.

trà te miſſo à Deo, dante illi poteſtatem contrà te? Peribis certè, peribis abſque ulla ſpe in æternum cruciatum. Æterna pax non erit impiis: *Impij autem quaſi mare fervens quod quieſcere non poteſt:* (a) ſicut litigantes inquieti & ferventes contrà proximum. *Qui poteſt capere capiat.* (b)

Propterea idem Paulus, imperativo modo, omnibus præcipit hanc pacem, & qua de cauſa? *Pacem ſequimini cum omnibus, ſinè qua nemo videbit Deum.* (c) Quomodo ergo hanc pacem reſpuendo, dum in curiis litigatis, *videbitis Deum ſicuti eſt* (d) in Regno Cœlorum? Quomodo ſalvi eritis? cum qua charitate, & dilectione Dei & proximi, ſicut vos ipſi? (e) ut ex ſimili illo primo & maximo præcepto legis veteris & novæ: *Si præcepta ſervantibus, benedictio, non ſervantibus maledictio?* (f) Quænam erit ſpes veſtra, non amando proximos veſtros ſicut vos ipſos, ſed cum illis conrixando & litigando? Si *Juſtus* eſt

(a) *Iſa.* 57. 20. (b) *Matt.* 19. 11. (c) *Heb.* 12. 14. (d) 1. *Jo.* 3. 3. (e) *Matt.* 22. 38. (f) *Deutor.* 11. 26 *&* 28. 1. *cum ſeq.*

eſt ille, *& vita vivet*, dicit Dominus; *qui hominem non contriſtaverit, & panem ſuum exurienti dederit, & nudum operuerit veſtimento?* (*a*) Si dicit Apoſtolus: *Stultas quæſtiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis devita, ſunt enim inutiles & vanæ*; (*b*) & iterum ad Timoteum: *Stultas, & ſine diſciplina quæſtiones devita, ſciens quia generant lites: Servum autem Domini, non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes docibilem.* (*c*) Quomodo ergo litigando, Dei erimus amici, non facientes quod ipſe præcipit nobis? (*d*) Ipſe enim dixit: *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos.* (*e*) Si Dominus Deus noſter, *Deus pacis eſt*, (*f*) *& Princeps Pacis?* (g) *Ipſe enim eſt pax noſtra.* (*h*) Quomodo *pacem Dei, quæ eſuperat omnem ſenſum*, (*i*) erit nobis? Quomodo ſectari poſſumus, *Juſtitiam, Fidem, Charitatem & pacem cum iis, qui invocant Dominum de corde puro?* (k) *Nemo militans*

(a) *Ezech.* 28. 7. (b) *ad Philem.* 3. 9.
(c) 2. *Tim.* 2. 23. (d) *Jo.* 15. 14. (e) *Jo.* 15. 12.
(f) 1. *Theſſ.* 5. 22. (g) *Iſa* 48. 22. (h) *Eph.* 2. 14.
(i) *Philipp.* 4. 7. (K) 2. *Tim.* 2. 22.

tans Deo, implicat ſe negotijs ſecularibus, ut ei placeat, cui ſe probavit; Nam qui certat in agone, ut pacem habeat, *non coronabitur, niſi qui legitimè certaverit*. (a) *Nemo enim mittens manum ad aratrum, reſpiciens retrò, aptus eſt Regno Cœlorũ.* (b) Reſpondeant, *qui* pacem CHRISTI habent, *& audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*, (c) *quod eſt Evangelium pacis*, (d) *prædicatum in univerſa creatura, quæ ſub Cœlo eſt*, (e) *ut audiant, & intelligant*, (f) ac lumen veritatis Chriſti JESU fulgeat illis, *qui ex Deo ſunt, & verba Dei audiunt*. (g) *Honor eſt hominis, qui ſeparat ſe à contentionibus: Omnes autem ſtulti miſcentur contumelijs*, (h) inter ipſos litigantes, pro vili inerteſſe, pro pecunia, pro domo, pro rure, pro redditu; quæ omnia noſtra non ſunt, ſed Dei, & à Deo nobis donata, ut poſſeſſa, retineamus pro ſola neceſſitate noſtra; omniaque ſuperflua exonerari, diſtribuendo indigentibus; (*i*) De his autem in-

(a) 2. *Tim*. 2. 4. (b) *Luc*. 9. 62. (c) *Luc*. 11. 28. (d) *Eph*. 6. 16. (e) *Coloſſ*. 1. 23. (f) *Mat*. 15. 10. (g) *Jo*. 8. 47. (h) *Prov*. 20. 3. (i) Superflua noſtra non ſunt ſed Dei & pauperum Dei.

intelligitur, quæ poſſidentur, non de illis, quæ non poſſidentur, & procurantur poſſideri litigando, & auferendo à poſſidentibus, quaſi noſtra eſſent, & nobis ablata, ac ſi in introitu hujus vitæ, cum nobis illa introiſſemus, quod fatuum eſt dicere. Vociferatur enim Paulus: *Nihil intulimus in hunc Mundum; haud dubium quod nec auferre quid poſſumus: Habentes alimenta & quibus tegamur his contenti ſimus.* (a)

Certè quidem, quod *homo nudus egreſſus eſt de utero matris ſuæ, & nudus revertetur illuc: & nihil auferet ſecum de labore ſuo: miſerabilis prorſus infirmitas, quomodo venit, ſic revertetur quid ergo prodeſt ei quod laboravit in ventum? cunctis diebus vitæ ſuæ comedit in tenebris*, quia abſtractus in bonis temporalibus, tenebreſcit in Cœleſtibus, *& in curis multis, & in ærumna atque triſtitia.* (b) Scriptum eſt enim, *Omni homini, cui dedit Deus divitias, atque ſubſtantiam, poteſtatemque ei tribuit, ut comedat ex eis, & fruatur parte ſua, & lætetur de labore ſuo: hoc eſt donum Dei:* (c) Parte ſua tantùm

(a) 1 *Tim 6.7.*
(b) *Eccliſ.5.14.& Job.1.21.* (c)*Eccliſ.5.18.*

tum dicit, & non toto; & cum laborioſiſſimæ ſint divitiæ, ideo dicit, *& lætetur de labore ſuo*, quia in hoc labore, dum dempta una parte ſua, partes alias numeroſas facit, ſuccurrendo pauperibus, lætatur valdè in anima ſua & laborem non ſentit; (*a*) ſicut ſcriptum eſt: *Jucundus homo, qui miſeretur & commodat*; (*b*) ità etiam, experientia rerum magiſtra, hoc ſimiliter docet. Experto crede nec alium quæras: *Acquieſce igitur ei, & habeto pacem; & per hæc habebis fructus optimos*. (*c*)

Gaudeamus ergo in hac bona lætitia, pauperibus elargiendo libenter ac hilari animo, vel debitores noſtri ſint in re temporali, vel non: nam *Sapientibus & inſipientibus debitores ſumus*; (*d*) ut labores & ærumnas hujus miſerabilis vitæ, in hac valle lacrymarum, ferre poſſimus cum gaudio in Chriſto JESU Domino noſtro: *Qui poteſt capere capiat: ſed non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt*. (*e*) Se declarat Hie-

(*a*) *Titelman. com. in Eccliſ. 5. ſuper illud, hæc eſt pars illius antè fin. & in addit. ant. fin.*
(b) *Pſal.* 111.5. (c) *Job* 22.21. (d) *Rom.* 1.14.
(e) *Mat.* 19.13. & 11.

Hieronymus, ſub hoc verbo quod addit: *ſed quibus datum eſt*, vel fatum vel fortunam &c. Sed his datum eſt à Deo, qui petierunt, (repetita ſcilicet, & aſſidua oratione) qui voluerunt, qui ut acciperent laboraverunt. (*a*) Ideo ergo, dicit Chryſoſtomus, non omnes capere poſſunt, quia non omnes volunt: Palma propoſita eſt: qui concupiſcit gloriam, non cogitat de labore: Nemo vinceret, ſi omnes periculum timerent: Quod ergo dicit; *quibus datum eſt*; illud oſtendit, quod niſi auxilium gratiæ acciperemus, nihil nobis valeret: Hoc autem auxilium gratiæ volentibus non denegatur: Dicit enim Dominus: *Petite, & accipietis &c.* (*b*) Debet autem voluntas præcedere, & ſic ſequitur gratia: nam nec gratia, ſine voluntate aliquid operatur, nec voluntas ſinè gratia poteſt. (*c*) *Cor hominis diſponit viam ſuam, ſed Domini eſt dirigere greſſus ſuos*. (*d*) Id verò quod dicit Chryſoſtomus: debet autem voluntas

 præ-

(a) *S. Hieron. ſuper illud, non omnes capiunt &c. tom. 9.* (b) *Matt. 7. 7* (c) *S. Io. Chryſ. ho. 31. in Matt 7. tom. 2.* (d) *Prov. 16. 9.*

Digitized by Google

præcedere, & ſic ſequitur gratia: Ad hoc ut arma non demus hæreticis, intelligitur de gradibus gratiæ ſubſequentibus ad prævenientem gratiam, omnibus gratis à Deo datam; nam hos gradus ſubſequentes gratiæ, recipimus, ſi præceſſerit voluntas petendo: Quia licèt qualiſvis gradus gratiæ, non poſſit mereri; tamen quo ad ſubſequentes gradus, poſt gratiam prævenientem; (*) ſi non poſſunt mereri, poſſunt tamen per orationem obtineri: Et ideo dicit *Petite, & accipietis*. (*a*) Sed quod poſſimus petere, & de facto petamus, ex Dei gratia præveniente eſt, juxtà illud: *Ego ſto ad oſtium & pulſo*, (*b*) quod ad gratiam prævenientem pertinet; Poſito autem, quod ſic ex gratia petamus, ſequitur gratia exauditionis, pro eo, quod dicit, *dabitur vobis*, & ſic redditur *gratia pro gratia*. (*c*) Nam & terra non germinat, inquit Chryſoſtomus, niſi pluvias ſuſceperit, nec pluvia fructificat, ſine terra. (*d*) Pluvia quæ de Cœ-

(*) Licet gradus gratiæ non poſſint mereri; poſſunt tamen per orationem obtineri.

(a) *Matt.* 7. 7. (b) *Apoc.* 3. 20. (c) *Jo.* 1. 17.
(d) *Chryſ. loc. cit.*

Digitized by Google

Cœlo deſcendit pertinet ad gratiam; juxtà illud *Anima mea, ſicut terra ſinè aqua tibi*; (*a*) Terra verò de qua ſumptus eſt homo, pertinet ad hominis voluntatem & diligentiam, ad gratiæ reſpondendum, & ſecundum gratiam operandum per gradus gratiæ ſubſequentes: *Deus eſt enim, qui operatur in nobis, & velle, & perficere, pro bona voluntate*. (*b*)

Petite ergo in bona voluntate, nihil eſitantes in fide, ut Cœcus ille ex Jerico, in brevi illa exoratione: (*c*) *Ut videam*; poſtquam à gratia audivit; *quid vis ut faciam tibi*. (*d*) Ut videamus deprecemur, clamantes continuè, *fili David miſerere noſtri*, (*e*) *ut aperiantur oculi cordis noſtri*, (*f*) & illuminentur ſenſus noſtri, ut videamus lumen æternæ veritatis, de bonorum pauperibus elargitione, aliiſque ad æternam ſalutem neceſſariis. Hæc eſt enim illa vox jubilationis, & conſolationis magnæ,

 è Cœ-

(a) *Pſ.142.6.* (b) *Phil.2.13.* (c) Hæc aſſidua & repetita oratio ad Deum neceſſaria pluſquam aliæ. (d) *Luc.18.42.* (e) *Luc.loc.cit.* (f) *Matt.20. 34.*

è Cœlo nobis demiſſa in Verbo Dei per Angelum Raphaelem in terris: Centies & millies in hoc opuſculo repetita: ELEEMOSYNA *à morte liberat; & ipſa eſt quæ purgat peccata, & facit invenire miſericordiam, & vitam æternam.* (*a*) *Nam qui miſeretur pauperis Beatus erit.* (*b*) Et in pauperum elargitione, ſemper ſubſtantia abundat, eo magis, Spirituſancto proclamante: *Alij dividunt propria, & ditiores fiunt; alij rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt.* (*c*) Scriptum eſt enim: *Qui dat Pauperi, non indigebit: Qui deſpicit deprecantem, ſuſtinebit penuriam.* (*d*) *Quis eſt Vir ſapiens, & intelligat hoc, ad quem verbum oris Domini fiat?* (*e*) *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit:* (*f*) *Qui autem audierit me, abſque terrore requieſcet, & abundantia perfructur, timore malorum ſublato.* (*g*) *Hoc eſt autem Verbum quod Evangelizatum eſt vobis* (*h*) *per gratiam vobis omnibus, qui eſtis in Chriſto* JESU. (*i*) *Noli er-*

(a) *Tob.* 12.9. (b) *Pro.* 11.24. (c) *Pro: loc. cit.* (d) *Pro:* 28.27. (e) *Jer.* 9.12. & *Oſe.* 14.10. (f) *Jo.* 8.47. (g) *Pro.* 1.33. (h) 1. *Petr.* 1.25. (i) 1. *Petr.* 5.24.

ergo negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per Prophetiam cum impoſitione manuum Presbiterij, (a) ideſt, per Baptiſmum, & ſi amittitur per peccatum; recuperatur & iterum datur per pœnitentiam; & conſervatur per gratiam & miſericordiam Dei; ſi ex parte noſtra fecerimus quod in nos eſt, opera quæ præcipit CHRISTUS dicens: *Hoc eſt præceptum meum ut diligatis invicem*, ſed quomodo? Ipſe Imperator & Magiſter explicat ſubdens: *Sicut dilexi vos*. (b)

Hoc juſtum, honeſtum, omnemque omninò virtutem in paucis ſyllabis, in brevibus verbis atq; manifeſtis nos CHRISTUS edocuit tamen dicendo: *Quoniam in duobus mandatis univerſa lex pendet & Prophetæ*, (c) ideſt in Dei, & proximi dilectione: tum jubendo: *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, hæc & vos facite illis*. (d) Hæc eſt enim Lex & Prophetæ. Quæ certè & ſervo ruſtico, & viduæ, & puero, & erudito, & ſatis rudi, facilia ad intelligendum

(a) 1. *Tim*. 4. 14. (b) Jo. 15. 12.
(c) *Mat*. 22. 40. (d) *Matt*. 7. 12.

dum ſunt & prorſus expoſita. Tales quidem ſunt ſententiæ veritatis. Siquidem omnes ferè, quæ ſunt agenda didicerunt, nec didicerunt modò, verum etiam quæ didicerant efficere curarunt; & non in Urbibus ſolùm atque plateis, ſed in ipſis quoque verticibus montium. Idque exitus rerum ipſe teſtatur ſola hac dilectione, tranſierunt pueri, tranſierunt, virgines, tranſierunt martyres ad Beatitudinem. Via non errans, veritas non fallens, vita non deficiens. Via in exemplo, veritas in promiſſo, vita in præmio. (*a*) Sed ordinem dilectionis illi pervertunt, nec modum diligendi cuſtodiunt, qui aut mundum qui contemnendus eſt, diligunt: aut corpora ſua minùs diligenda plus diligunt: aut proximos ſuos, non ſicut ſeipſos fortè non diligunt. (*b*)

De hac dilectione loquens Paulus, ab omnibus debitis nos abſolutos voluit, (ſicut pluries recitavimus) excepto debito charitatis & proximi dilectio-

(a) *S August de Doctrin. Christian.*
(b) *S. Proſper. lib. 1. de vita contemplat.*

ctione, à quo debito nunquam abſolvi nos voluit dicens: *Nemini quicquam debeatis, niſi ut invicem diligatis*; & ſtatim cauſalem adjungit: *Qui enim diligit proximum legem implevit*, (*a*) ac ſi diceret, qui diligit proximum omnia legis præcepta obſervat, ut ipſemet declarat dum ſequitur: *Nam, non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falſum teſtimonium dices, Non concupiſces, & ſi quod eſt aliud mandatum: in hoc verbo inſtauratur: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Dilectio proximi, malum non operatur. Plenitudo ergo legis eſt dilectio. Et hoc ſcientes tempus, quia hora eſt jam nos de ſomno ſurgere*, de ſomno ſcilicet vitæ peractæ. *Nunc enim proprior eſt noſtra ſalus, quam cum credidimus* in Evangelicam veritatem; credidimus, ſcilicet, fide cum operibus comitata: *Nox præceſſit, dies autem appropinquavit*; præceſſit mala vita, in qua ſicut in nocte dormientes, obſcuratum habuimus intellectum, dies autem appropinquavit, quia ſicut *lucerna pedibus noſtris verbum Dei* (*b*) demonſtratur. *Abjiciamus ergo ope-*

(a) Rom. 13. 8. (b) Pſ. 118. 105.

opera tenebrarum, & induamur arma lucis, ſicut in die honeſtè ambulemus; non in contentione & æmulatione; ſed induite Dominum JESUM *Chriſtum & carnis curam ne feceritis in deſideriis.* (a)

Et ut compendiaria prorſus te via ducam ad Cœlum, hanc verborum meorum ſummam teneto, & triplex hoc breve monitum nulla unquam oblivione deleto. I. Aſſiduè cogita, te quotidie propius atque propius ad ipſam totam immenſam ÆTERNITATEM accedere, ſicut David: *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui:* (b) Quæ æternitas tibi vel in flammis inter damnatos, vel in deliciis inter beatos neceſſariò agenda erit; ſic bene mori condiſces. II. Deum tibi ſemper præſentem ex oculis nunquam dimitte & omnia proſpera vel adverſa à manu Dei permittente recipe, in omnibus, Dei voluntati conformatus, ità ſcies rectè vivere, ut in æternum vivas in pace glorioſus. III. Cura ſit quotidie juveneſcere, non annis, ſed juſtis deſideriis ac ſanctis propoſitis,

(a) *Rom.* 13. 8 *& ſeq.* (b) *Pſal.* 76. 5.

Digitized by Google

tis, proximique dilectionem ſemper habere. Omni die ſpiritus innovandus eſt,& ſenium deſidioſi languoris exuēdum, ſicut ſcriptum eſt digito Dei: *Novate vobis novale*: (*a*) explicat Paulus: *Deponite vos ſecundum priſtinam converſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſiderium erroris: Renovamini autem ſpiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia & Sanctitate veritatis*. (*b*) Cadimus millies? millies reſurgamus. David Rex quotidie factus ſeipſo junior: *Dixi*, ait, *nunc cępi* (*c*) NUNC, NUNC. Quod intra decem, viginti, triginta, aut quadraginta annos neglexi, hodie, hac hora: NUNC faciam. Ità in novam quotidie recoquemur ætatem, viginti, triginta, aut quadraginta annis juniores. Purpuratus Boromęus & Sanctus: petenti e ſuis, qua via optimè iretur ad Cęlum? Hoc dedit documenti: Ad Cęlum ſic eas, ut quotidie de integro ire incipias. (*d*)

Sed

(a) *Jerem*.4.3.
(b) *Eph*.4.22. (c) *Pſal*.76 10. (d) *Drexel.in orolog.tutel.Ang.hora* 5.*conſider*.2.6.1.

Sed hæc,omniaque alia uſque adhuc dicta, difficilè erit, quo ad nos, ad perfectionem & effectum perducere, niſi affectus terrenorum deſeratur : Hæc enim viſibilia terrena obcęcant veram cognitionem ſpiritualium & Cęleſtium ; refrigerant fidem, taliter quod fides remanet in ore tantùm, mortua verò in opere quaſi fides non ſit. Creditur, & non creditur : creditur verbis,non creditur operibus; quia opere non perficitur quod ore dicitur credere. Amor temporalium rerum, & in illis tenacitas in cauſa eſt. Oportet igitur amorem temporalium rerum, quantum poſſumus reſecare, potentiaſque noſtras ad Spiritualia & Divina erigere : Verba Dei aſſiduè conſiderando & meditando, verumetiam & orando: Hac diligentia & ſolicitudine, gratia Spirituſancti, verum lumen & veram intelligentiam veritatis aperiet nobis. Sic *omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia tollatur à vobis, cum omni malitia* quæ omnia in litigiis injuſtis pro temporalium rerum concupiſcen-

tia

tia habentur; *Eſtote autem invicem benigni, miſericordes, donantes invicem ſicut & Deus in CHRISTO donavit vobis*. (*a*)

U*nuſquiſque veſtrum*, obſecramus cum Paulo, *proximo ſuo placeat in bonum ad ædificationem*, ad ædificationem dicit, non ad ſcandalum vexando & litigando proximum noſtrum fratrem in Chriſto JESU; nobis placentes & concupiſcentiis noſtris, *Etenim CHRISTVS non ſibi placuit: ſed ſicut ſcriptum eſt: Improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me*. Dicite, quæſo, unde in animo noſtro tot trepidationes, tot turbines, tot fluctuationes, tot ideæ, tot carnis providentiæ; tantus in bonum agendo languor & mutabilitas, tantum in patiendo horror & imbecillitas? Deo non ſatis fidimus, nec toti à Divina providentia pendemus. Initium inquit Kempis, omnium malarum tentationum, inconſtantia animi & parva ad Deum confidentia. (*b*) Quoties Deus ſuam nobis fidem obligat

(a) *Eph.* 4. 31. (b) *Tho: à Kempis lib.* 1. *de imit. Chriſti cap.* 13. *n.* 5.

Digitized by Google

gat de cura & providentia ſua, de patrocinio & auxilio ſuo in rebus omnibus; modo nos noſtro non deſimus muneri.

Diſſertiſſimus Græcorum Chryſoſtomus, ad hanc in Deum fiduciam quemvis hortatus: Noli, ait, de rebus tuis curare: ſed omnia tua Deo commenda: cura enim tua, cura hominis eſt; Deo autem de omnibus tuis committe providentiam. Noli tu, majoribus prætermiſſis, de illis curare, ne Deus minus de illis provideat. Ut igitur magna cura tuas res complectatur, ipſi ſoli univerſa committe, (*a*) Longanimitatis virtute: *Expecta Dominum, viriliter age: & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum*. (*b*) Inſigniter dixit Theodoretus: Gubernatorem habeas Deum & aurigam, & res tuæ ab illa providẽtia pendeant, hoc enim modo inconcuſſus manebis. (*c*) Res certa, falli non poteſt, qui ſic poteſt Deo fidere.

Et nunquid curas facilè ſepelimus, ſi noſtra viro honeſto commiſerimus, qui

(a) *S. Io: Chryſ. to: 2. hom. 69. in Matt.* 21. (b) *Pſal.* 26 20. (c) *Theodor. in Pſal.* 54.

qui ſuam inſuper fidem nobis obſtrinxerit, res noſtras perinde ut ſuas à ſe curandas? Hic certè lætus in præſens animus, quod ultrà eſt, odit curare, cum ſe ſuaque omnia viro fideliſſimo commiſſa norit. Quin ergo idem cum Deo facimus? An non ſat bonus, ſat fidelis, ſat ſollicitus, ſat potens, ſat providus eſt, qui noſtra amantiſſime curat, ſapientiſſimè gubernat? Deus jampridem conquæſtus: *Portabam eos*, inquit, *in brachijs meis, & ipſi neſcierunt quod curarem eos*. (*a*) Clarius ſe declarat dicens: *In manibus meis deſcripſi te*. (*b*) & tu dubitas homo providus ſed fallax. Quapropter Auguſtinus hoc ipſum ingerit: Conſtanter DEO, eique te totum committe quantum potes; nihil tibi evenire permittet, niſi quod tibi proſit, etiamſi neſcias: Portabit te in brachiis ſuis, licet non animadvertas quod curet te. Venit calamitas (ex eo quod noluiſti exercere litigium contrà fratrem proximum tuum, ne ut habeas rem temporalem perdas proximi dilectionem & gratiam Dei animi-

(a) *Oſe*. 11. 3. (b) *Iſa*. 49. 16.

mique quietem) ſed tu ne trepida, ne diffide. Non patieris ab ullo, vel minimum, quod non velit Deus te pati. (*a*)

Ad erigendum in Deum fiduciam, aſſiduè obverſetur animo non quod bonum in oculis noſtris faciat: Illi fido illi me totum penitiſſimè trado. His duobus brachiis oſſeo & ferreo, ſuſtinebimus Dominum, expectabimus, longanimitate forti, in præſſuris quibuſcumque, in adverſitatibus, in tentationibus; proprium amorem & humanas rationes pro nihilo habentes; Si hæc brachia habebimus oſſeum ſcilicet & ferreum; Oſſeum autem ad patientiam pertinet, ferreum ad fortitudinem. *Patiendo & aggrediendo*: Quicquid hoſtium eſt ſuperatur. Patientia, inquit Angelicus, potentialis pars fortitudinis rectè appellatur. (*b*)

Deus præcipit dilectionem & pacem cum proximo fratre noſtro, non litigium; pacem, non jurgium, quia Deus pacis eſt: *Deus autem patientiæ & ſolatij det vobis* legentibus *id ipſum ſapere*

re

(a) *S. Auguſt. in Pſ. 49. 6. to. 8.* (b) *S. Tho. 2. 2. qu. 136. art. 4. in concluſ.*

Digitized by Google

re in alterutrum ſecundum IESVM Chriſtum; ut unanimes uno ore honorificetis Deum & Patrem Domini noſtri IESV Chriſti. Propter quod ſuſcipite invicem, ſicut & CHRISTVS ſuſcepit vos in honorem Dei. (*a*) *Novos verò Cælos, & novam terram ſecundum & promiſſa ipſius expectamus, in quibus juſtitia habitat: Propter quod cariſſimi hæc expectantes, ſatagite immaculati & inviolati ei inveniri in pace,* (*b*) & non in lite verſati pro re vili caduca & citò peritura, aut deſtruenda, aut perdenda, aut aliis relinquenda: Ut *Princeps Pacis,* (*c*) & *Deus Pacis ſanctificet vos per omnia.* (*d*) Regi ſæculorum immortali inviſibili, ſoli Deo honor & gloria in ſæcula & per omne ævum amen.

His amplius fili mi ne requiras, faciendi multos Libros nullus eſt

FINIS. (*e*)

(a) *Rom.* 15.2.*& ſeq.* (b) 2.*Pet.*3.13.
(c) *Iſa.*48.22. (d) 1.*Theſ.*5.22.
(e) *Eccleſ.* 12. 12.

Digitized by Google

AQueductus Cœleſtium gratiarum MARIA per quam totus ſalvatus eſt Mundus, intercede pro me miſero cunctis iniquitatibus fedato: Peccavi enim ſuper numerum arenæ maris. Quoniam Deus ſcit inſipientiam meam, & delicta mea illi non ſunt abſcondita. Spero Miſericordiam Dei filij per interceſſionem Matris, ut in iracundia & litigio contra proximi dilectionem ampliùs non incidam. Pacem nobis omnibus relictam, non auferat mea culpa. Impetra mihi queſo ò Dei Mater gratiam pacis, & quietudinis animi in hac vita, & in futura: Amen.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

25

Digitized by Google